



Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
Boston Library Consortium Member Libraries

<http://www.archive.org/details/sanselmicantuari04anse>

S. ANSELM

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI

OPERA OMNIA

VOLUMEN QUARTUM

79
Ista repulsi regni sup anglos. quatenus nos i eterna felicitate regnare faciat te anglos. hoc utiq; e. ad qd maxime uob seruire cupio. Quapp qd ad me pertinet. ad hoc cui possit. su. ut fidelis. ut episcopus. consilio. pcor. & sic scriptu e. obsecro opportune spontane. ut sic d's uia augere pspicere & exultare potestare. ita uos si eia ei amicitia oib; uiris seruare uoluntate. Qd sic uos d's i hac uia i pspicere facere eedat. ut phae uita sit i eantate gaude faciat. Circa me di gra amica pspice se. de uiris reb; quis hoc ee i uia bona uoluntate chida. rogeti ut eas i qere manere uilicatis donec uideat.

79
Ads arpe donopon. e. & alius sub illo monachos do seruientib; sal. & in dictioe di. de salute & pspicere uia. pspicere manere cognoscat. Quicq; an de me sit. memore qd sine uiuim sine mortui diu sum. Sic q; uiuere ut illi uiuatis. & e mortui in ad illu trahant. H nos pambet ebullant. hui in te. qd p multas ebullatioe sopore. nos iterare i uirgini di. salute cognatu uiri i dno. & ipse uo emi ter. n dabit i genii fluctuatioe uisui. Orate d'm bni uiuendo. n mites uisui turbando. ut i sua sepeliatone faciat uos letari. Pueros & adolecentie ut filio doli. affines horum & monico quito possit affert. ut monico omis & doctis quia eos de coet & cogitationi custodiat. scilicet. struere n obliuiscant. si d'liu uiri in sepe mitem docti ea studiose magnificare & emicare illis scilicet. p gra di custodire nuntiare. Pax di q; exupat oe scilicet. custodiat

I corda uia & itelligentia uia.

90
Ads seruus ecclesie canie d'ni & mat reuerendq; abbas. Cadamensi. O scriptu diuine. grs regi chilo. Sete scitatu p d'ni. R. nri chilu de abbatia uia. quia ienro deferre si uob uacat. ut alu comdare uelle. at. qui ea propie infirmitate & etatis ibellitate. sic oportet regere. nualcet. Qd quia fieri n p pcor mite & artem reuonagere & epim uiri in a consen sui scimonalu uob emittat. inde uob nullu impende possit. auriliu. si qm hoc petat. quale possit mandocsi lui. Tempore si pcor ad qspicere desidiu uiri sic uob expetere uideri potest. efficere. & si neq; sororib; q ments uia se. illis salic & i q; maior prudentia & religioni feruore cognoscat. eui ter in q; mte uir deficiat pspicendo. rogando. exhortando aia i uiri. Hui si & emgret. ut uale psonas in q; sedm de fideli uiri possit chide n habetis. qd i ecclia uia & n pcor. uiri tui reuerentia si illas eligeret qd ad hoc melior et & araoie cognosceret. exultabit ap d'm qm meli n possit. sic credo exultet. vale te.

91
Ads arpe reuerendo episcopo. Sal. De carpo eboracensi n debet tali re aliquid absens de absen. te & laudato defuisse. pferri episcopo crim illatu neq; se ideo n andeo dare consilium. ne chilu meo ab aliq p defuncto a capiat. Quapp si uob uideat de hoc apire qe oino crucea. parte i ipse a uob rescribit. respon su meo carere. & si rescribit. quod uobis mandu. si meli n potestis respondere. Omne d'ni uos & uia sub sua gra custodiat. & uos sep i uia salutem dirigat.

S. ANSELMI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI

OPERA OMNIA

VOLUMEN QUARTUM

CONTINENS

EPISTOLARUM LIBRI SECUNDI

PRIMAM PARTEM

AD FIDEM CODICUM RECENSUIT

FRANCISCUS SALESIUS SCHMITT

MONACHUS GRISSOVIENSIS

O. S. B.

APUD THOMAM NELSON ET FILIOS

EDIMBURGI

—
MDCCCCL

THOMAS NELSON & SONS LTD

Parkside Works, Edinburgh 9

3 Henrietta Street, London WC 2

312 Flinders Street, Melbourne C 1

91-93 Wellington Street, Toront 1

THOMAS NELSON & SONS

385 Madison Avenue, New York 17

SOCIÉTÉ FRANÇAISE D'ÉDITIONS NELSON

25 rue Denfert-Rochereau, Paris V^e

B 765

. A 83 A 1 S 3

✓

250182

BOSTON COLLEGE LIBRARY
CHESTNUT HILL, MASS.

ABBATI MEO
IN QUINTUM ET VICESIMUM ANNUM
REGIMINIS

Imprimatur.

Ex Vicariatu Urbis, die 22. Aprilis 1949

† Aloysius Traglia, Archiepiscopus Caesariensis,

Vicesgerens.

Cum Superiorum permissu.

Ex officina Sansaini et Soc., Romae.

Index huius voluminis:

Epistolarum liber secundus:

Epistolae quas archiepiscopus Cantuariensis scripsit.

Prima pars.

	pag.
148. Ad monachos Beccenses	3
149. Ab Osberno monacho Cantuariensi	6
150. Gondulfi episcopi Rofensis ad monachos Beccenses	11
151. Ad monachos Beccenses	12
152. Ab Osberno monacho Cantuariensi	13
153. A Roberto duce Normanniae	14
154. A Willelmo archiepiscopo Rotomagensi	15
155. A monachis Beccensibus	16
156. Ad Baldricum priorem ceterosque monachos Beccenses	17
157. Ad eosdem	24
158. Ad Rogerum abbatem Exaquii	25
159. Ad Gislebertum episcopum Ebroicensem	26
160. Ad Fulconem episcopum Belvacensem	29
161. Ad Gosfridum episcopum Parisiensem	31
162. Ad Walerannum, olim cantorem ecclesiae Parisiensis	34
163. Ad Eudonem dapiferum regis	36
164. Ad Baldricum priorem ceterosque monachos Beccenses	37
165. Ad Willelmum abbatem et monachos Beccenses	38
166. Ad monachos iuvenes et adolescentes Beccenses	40
167. Ad Idam comitissam Bononiae	41
168. Ad monialem Gunnildam, filiam regis Haroldi	43
169. Ad eandem	46
170. Ad Wlstanum episcopum Wigorniensem	51
171. A Wlstano episcopo Wigorniensi	52
172. Ad Osbernum episcopum Exoniensem	53
173. Ad Willelmum abbatem et monachos Beccenses	54
174. Ad Bosonem monachum Beccensem	55

VIII

175. Ad Rodulfum abbatem Sagiensem eiusque monachos	56
176. Ad Hugonem archiepiscopum Lugdunensem	57
177. Ad Osmundum episcopum Seriberiensem	60
178. Ad Willelmum abbatem et monachos Beccenses	61
179. Ad Baldricum priorem Beccensem	63
180. Ad Robertum principem Flandriae	64
181. Ab Ivone episcopo Carnotensi	65
182. Ad Henricum priorem ceterosque monachos Cantuarienses	66
183. Ad Eulalam abbatissam et sanctimoniales S. Edwardi Sceptesberiensis	67
184. Ad monialem M., filiam Ricardi	68
185. Ad Mathildam abbatissam Wiltoniensem eiusque moniales	69
186. Ad Lanfridum abbatem S. Wlmari	71
187. Ad Gervinum episcopum Ambianensem	73
188. Ad Ricardum monachum	73
189. Ad Willelmum monachum Cestrensem	74
190. Ad Osmundum episcopum Serisberiensem	76
191. Ad Walterum legatum cardinalem episcopum	77
192. Ad eundem	78
193. Ad Urbanum papam	82
194. Ad Walterum legatum cardinalem episcopum	84
195. Ad Osmundum episcopum Serisberiensem	85
196. Ad Ricardum monachum Beccensem	86
197. Ad Lambertum abbatem	87
198. Ad Domnaldum, Donatum ac ceteros episcopos Hiberniae	88
199. Ad monachos Beccenses	90
200. A Mauritio episcopo Lundeniensi	91
201. A clero et populo Wataferdiae	92
202. A Walcelino episcopo Wintoniensi	93
203. Ad priorem et monachos S. Albani	94
204. Ad eosdem	95
205. Ad Willelmum abbatem et monachos Beccenses	97
206. Ad Urbanum papam	99
207. A Malcho episcopo Waterferdensi	101
208. Ad Hugonem archidiaconum Cantuariensem	102
209. Ad B(ostonem) monachum Beccensem	104
210. Ad Paschalem papam	105
211. Ad Burgundium eiusque uxorem Ricezam, sororem suam	107
212. Ab Henrico rege Anglorum	109
213. A Paschali papa	110
214. Ad Paschalem papam	111
215. Henrici regis Anglorum ad Paschalem papam	114
216. Paschalis papae ad Henricum regem Anglorum	115
217. Ad Paschalem papam	118

218. Ad eundem	120
219. Ad eundem	121
220. Ad eundem	122
221. Henrici regis Anglorum ad Paschalem papam	123
222. A Paschali papa	124
223. Ab eodem	126
224. Paschalis papae ad Henricum regem Anglorum	129
225. Eiusdem ad Ranulfum episcopum Dunelmensem	130
226. Eiusdem ad Osbernum episcopum Excecestrensem	131
227. A Benedicto	132
228. Ad Henricum regem Anglorum	133
229. Ad Willelmum electum episcopum Wentoniensem	134
230. Ad Robertum, Seit, Edit	134
231. Ad monachos coenobii Cestrensis S. Werburgae	136
232. Ad Hugonem monachum	138
233. Ad Bernardum monachum Cestrensem	140
234. Ad Iohannem praepositum canonicorum de Monte S. Eligii	141
235. Ad Baldewinum regem Hierosolymorum	142
236. Ad Stephanum archidiaconum Wentoniensem	144
237. Ad Athelits abbatissam et moniales de Rumesi	144
238. Ad Gerardum archiepiscopum Eboracensem	145
239. Ab Hildeberto episcopo Cenomannensi	146
240. Ab eodem	148
241. Ad Hildebertum episcopum Cenomannensem	149
242. A Mathilde regina Anglorum	150
243. Ad Mathildam reginam Anglorum	153
244. Ad Idam comitissam	154
245. Ad Willelmum monachum	155
246. Ad Mathildam reginam Anglorum	156
247. Ad Idam comitissam	157
248. Ad Robertum comitem Flandriae	158
249. Ad Clementiam comitissam Flandriae	159
250. Ad Gerardum archiepiscopum Eboracensem	161
251. Ad Rogerium abbatem et Robertum ceterosque monachos S. Ebrulfi	162
252. Ad monachos coenobii S. Eadmundi	163
253. Ad Gerardum archiepiscopum Eboracensem	164
254. Ad Herbertum episcopum Thiotfordensem	165
255. A Gerardo archiepiscopo Eboracensi	166
256. Ad Gerardum archiepiscopum Eboracensem	168
257. Ad Willelmum archidiaconum Cantuariensem	169
258. Ad Burgundium et Richezam	170
259. Ab Hugone abbate Cluniacensi	172
260. Ab Hugone archiepiscopo Lugdunensi	174

261. Ad Hugonem archiepiscopum Lugdunensem	175
262. Ad Umbertum comitem et marchionem	176
263. Ad Diacum episcopum S. Iacobi Compostellani	178
264. Ad Burgundium eiusque uxorem Ricezam sororem suam	179
265. Ad Henricum regem Anglorum	180
266. Ad Willelmum archiepiscopum Rotomagensem	181
267. Ad Aelferum priorem ceterosque monachos S. Eadmundi	182
268. Ad Richezam sororem suam	183
269. Ad Willelmum archiepiscopum Rotomagensem	184
270. Ad Robertum comitem aliosque in episcopatu S. Davidis terras habentes	185
271. Ad Willelmum archiepiscopum Rotomagensem	186
272. Ad Paschalem papam	187
273. Ad Robertum principem Normanniae	188
274. Ad Willelmum archiepiscopum Rotomagensem	189
275. Ad Rogerium	190
276. Ad Athelits abbatissam Wintoniensem	190
277. Ad Malchum episcopum Weterfordensem	191
278. Ad Samuelem episcopum Dublinensem	192
279. Ad Willelmum archiepiscopum Rotomagensem	193
280. Ad Paschalem papam	193
281. A Paschali papa	196
282. Ab eodem	198
283. Eiusdem ad Gerardum archiepiscopum Eboracensem	200
284. Ab Iohanne cardinali	201
285. Ad Conum	203
286. Ad Ernulfum priorem et monachos Cantuarienses	205
287. Ad Gundulfum episcopum Rofensem	206
288. Ad Mathildem reginam Anglorum	207
289. Ad Ernulfum priorem et monachos Cantuarienses	208
290. Ad Anselmum nepotem suum	209
291. Ad Ernulfum priorem et monachos Cantuarienses	210
292. Ad eosdem	211
293. Ad Gundulfum episcopum Rofensem	213
294. Ad Henricum regem Anglorum	214
295. Ad Ernulfum priorem et monachos Cantuarienses	215
296. Ad Mathildem reginam Anglorum	216
297. Ad Eustachium patrem Gausfridi monachi Beccensis	217
298. Ad Mathildem abbatissam Cadomensem	218
299. Ad Gundulfum episcopum Rofensem	219
300. Ad eundem	221
301. Ad Henricum regem Anglorum	222
302. Ad Gerontem abbatem	223
303. A Paschali papa	224

304. Ab eodem	225
305. Paschalis papae ad Henricum regem Anglorum	226
306. Ad Gundulfum episcopum Rofensem	228
307. Ad Ernulfum priorem Cantuariensem	229
308. Ad Henricum regem Anglorum	230
309. Ad Anselmum nepotem suum	232

Index nominum

eorum, ad quos Epistolae huius voluminis scriptae sunt.

	Ep.
Aelferus prior ceterique monachi S. Eadmundi	267
S. Albani prior et monachi	203, 204
Anselmus, archiepiscopus Cantuariensis:	
a Beccensibus monachis	155
a Benedicto	227
a Gerardo, archiepiscopo Eboracensi	255
ab Henrico, rege Anglorum	212
ab Hildeberto, episcopo Cenomannensi	239, 240
ab Hugone, archiepiscopo Lugdunensi	259
ab Hugone, abbate Cluniacensi	260
a Iohanne cardinali	284
ab Ivone, episcopo Carnotensi	181
a Mathilde, regina Anglorum	242
a Mauritio, episcopo Lundoniensi	200
ab Osberno, monacho Cantuariensi	149, 152
a Paschali papa	213, 222, 223, 281, 282, 303, 304
a Walcelino, episcopo Wintoniensi	202
a clero et populo Wataferdiae	201
a Wlstano, episcopo Wigornensi	171
Anselmus, nepos s. Anselmi	290, 309
Athelits, abbatissa de Rumesi	276
Eadem eiusque moniales	237
B. (=Boso, monachus Beccensis?)	209
Baldewinus, rex Hierosolymorum	235
Baldricus, prior Beccensis	179
Idem ceterique monachi Beccenses	156, 157, 164

Beccenses monachi	148, 151, 199
a Gundulfo, episcopo Rofensi	150
lidem eorumque abbas Willelmus	165, 173, 178, 205
lidem eorumque prior Baldricus	156, 157, 164
Beccenses monachi iuvenes et adolescentes	166
Bernardus, monachus Cestrensis	233
Boso, monachus Beccensis	174, 209?
Burgundius eiusque uxor Riceza, soror s. Anselmi	211, 258, 264
Cantuarienses monachi eorumque prior Henricus	182
lidem eorumque prior Ernulfus	286, 289, 291, 292, 295
Clementia, comitissa Flandriae	249
Conus, domnus	285
Diacus, episcopus S. Iacobi Compostellani	263
Domnaldus, archiepiscopus Cashelianensis (?), Donatus et ceteri episcopi Hibernae	198
Donatus, episcopus Dublinensis, Domnaldus et ceteri episcopi Hiberniae	198
S. Eadmundi monachi	252
lidem eorumque prior Aelferus	267
S. Ebrulfi monachi et abbas Rogerius et Robertus	251
Edit, monialis, et Robertus et Seit	230
S. Edwardi moniales earumque abbatissa Eulalia	183
Ernulfus, prior Cantuariensis	307
Idem et monachi Cantuarienses	286, 289, 291, 292, 295
Eudo, dapifer regis	163
Eulalia, abbatissa S. Edwardi Sceptesberiensis, eiusque moniales	183
Eustachius, pater Gausfridi, monachi Beccensis	297
Fulco, episcopus Belvacensis	160
Gerardus, archiepiscopus Eboracensis	238, 250, 253, 256
a Paschali papa	283
Geron abbas (S. Benigni Diviensis?)	302
Gervinus, episcopus Ambianensis	187
Gosfridus, episcopus Parisiensis	161
Gundulfus, episcopus Rofensis	287, 293, 299, 300, 306
Gunnilda monialis, filia regis Haraldi	168, 169
Gislebertus, episcopus Ebroicensis	159
Henricus, rex Anglorum	228, 265, 294, 301, 308
a Paschali papa	216, 224, 305
Henricus, prior ceterique monachi Cantuarienses	182
Herbertus, episcopus Thiotfordensis	254
Hibernae episcopi	198
Hildebertus, episcopus Cenomannensis	241
Hugo, archiepiscopus Lugdunensis	176, 261
Hugo, archidiaconus Cantuariensis	20∞

Hugo monachus (S. Werburgae?)	232
Ida, comitissa Bononiae Oceanensis	167, 244, 247
Iohannes, praepositus canonicorum S. Eligii	234
Lambertus abbas (S. Bertini?)	197
Lanfridus, abbas S. Wlmari	186
M., filia Ricardi, monialis (S. Edwardi?)	184
Malchus, episcopus Waterferdensis	207, 277
Mathilda, abbatissa Wiltoniensis eiusque moniales	185
Mathildis sive Mathilda, regina Anglorum	243, 246, 288, 296
Mathildis, abbatissa s. Trinitatis Cadomensis	298
Osbernus, episcopus Exoniensis	172
a Paschali papa	226
Osmundus, episcopus Serisberiensis	177, 190, 195
Paschalis papa II.	210, 214, 217, 218, 219, 220, 272, 280
a Henrico, rege Anglorum	215, 221
Ranulfus, episcopus Dunelmensis:	
a Paschali papa	225
Ricardus, monachus Beccensis	196
Richardus monachus (Cantuariensis?)	188
Riceza sive Richeza, soror s. Anselmi	268
Eadem eiusque vir Burgundius	211, 258, 264
Robertus, dux Normanniae	153, 273
Robertus, princeps Flandriae	180, 248
Robertus comes alique in episcopatu S. Davidis terras habentes	270
Robertus, filius comitis Hugonis, monachus S. Ebrulfi, abbas intrusus	
S. Eadmundi, et abbas Rogerius ceterique monachi	251
Robertus, Seit, Edit	230
Rodulfus, abbas Sagiensis, eiusque monachi	175
Rogerus, abbas S. Ebrulfi, et Robertus et ceteri monachi	251
Rogerus	275
Rogerus, abbas Exaquii	158
Sagienses monachi eorumque abbas Rodulfus	175
Samuel, episcopus Dublinensis	278
Seit, monialis, et Robertus et Edit	230
Stephanus, archidiaconus Wentoniensis	236
Umbertus, comes Augustiensis et marchio Susensis	262
Urbanus papa II.	193, 206
Walerannus, cantor ecclesiae Parisiensis	162
Walterus, legatus cardinalis episcopus	191, 192, 194
S. Werburgae Cestrensis monachi	231
Willelmus, archiepiscopus Rotomagensis	154, 266, 269, 271, 274, 279
Willelmus, episcopus electus Wentoniensis	229
Willelmus, abbas Beccensis ceterique monachi	165, 173, 178, 205

Willelmus, archidiaconus Cantuariensis	257
Willelmus, monachus Cestrensis	189, (245?)
Willelmus monachus (an idem cum praecedente?)	245
Wiltonienses moniales earumque abbatissa Mathilda	185
Wlstanus, episcopus Wigorniensis	170

EPISTOLARUM LIBER SECUNDUS

INDEX SIGLORUM.

- L* = Londiniensis Lambethanus 59 (olim Cantuariensis, Ecclesiae Christi), s. XII. ineuntis.
- P* = Parisinus lat. 2478 (olim Cantuariensis, Ecclesiae S. Augustini ?), s. XII. ineuntis.
- E* = Cantabrigiensis Collegii Corporis Christi 135 (olim S. Edmundi), s. XII.
- C* = Londiniensis Mus. Brit. Cotton. A. XI, s. XIII.
- V* = Parisinus lat. 14762 (olim S. Victoris), s. XII.
- V*ⁱ = Idem codex, pro iis epistolis, quae in eo repetuntur.
- F* = Londiniensis Mus. Brit. Regal. 5. F. IX, s. XII., prioris dimidia.
- T* = Cantabrigiensis Collegii S. Trinitatis 35 (B. 1. 37), s. XII. ineuntis.
- M* = Londiniensis Lambethanus 224 (olim abbatae Malmesberiensis), ante a. 1143.
- D* = Cantabrigiensis Collegii Corporis Christi 299 (olim Dominicanorum Londiniensium), versus a. 1200.
- U* = Cantabrigiensis Universitatis Dd. IX. 5, s. XII. exeuntis.
- g* = *Opera omnia* s. ANSELMI sec. edit. G. GERBERONIS; secunda edit. a. 1721 (= *PL* t. 158 et 159)
- w* = WILMART, A., *La tradition des lettres de s. Anselme et de ses correspondants*; *Rev. Bénédictine*, 1931, p. 38-54.
- s* = SCHMITT, Fr. Sal., *Zur Ueberlieferung der Korrespondenz Anselms von Canterbury. Neue Briefe*; *Rev. Bénédictine*, 1931, p. 224-238.
- r* = EADMERI *Historia Novorum* sec. edit. M. RULE (1884; Rolls Series). *Hist. Nov.* = Idem opus; prior numerus appositus edit. RULE, alter edit. MIGNÉ, *Patr. lat.*, t. 159, indicat.

Epistolarum liber secundus :
Epistolae quas archiepiscopus Cantuariensis scripsit.

148.

Ad monachos Beccenses.

Scribit eis se invitum archiepiscopum Cantuariæ electum fuisse, sed sibi acceptandum esse se nunc censere; inde eos monet, ne suae electioni sese opponant.

Suis dilectissimis et desideratissimis dominis, fratribus et filiis, servis dei
Becci commanentibus: frater ANSELMUS, post deum corde suus illorum,
3 sancti spiritus semper regi consilio et consolatione gaudere.

Quaecumque scripta vel dicta communiter vel singuli de affectu cordis
vestri mittitis dilectissimo et desideratissimo vestro, et quae nec lingua potest
6 exprimere nec calamus: omnia expresse et aperte scripta sunt in corde meo.
Insuper et multa alia ex affectu et intellectu meo, quae utinam similiter
scripta et expressa essent in corde vestro! Ibi, scilicet in intimis meis, ibi
9 ea lego et relego, volvo et revolve saepe coram deo. Quod quo affectu
faciam, videt ipse intus, et foris testantur lacrimae meae, et voces et rugitus
»a gemitu cordis mei«, quales numquam de me ullo dolore memini exisse
12 ante diem illam, in qua sors illa gravis archiepiscopatus Cantuariæ visa est
super me cecidisse. Quas voces vel gemitus, ut puto, non simulaverunt con-
fessiones, sed gladii doloris animam meam penetrantis extorserunt et adhuc

Ad Ep. 148: Scripta brevi post ANSELMI ad archiepiscopatum electionem, quae
d. 6. Martii a. 1093 facta est. 11 mei] Cf. Ps. 37,9. 13 cecidisse] Cf.
Act. 1,26. 14 perpetrantis] Cf. Luc. 2,35.

ad inscriptionem: EXPLICIT LIBER PRIMUS. INCIPIT SECUNDUS *LP*
(ante Ep. 156) cetera mss. nova inscriptione carent **Ep. 148 (prius III, 1)**
coll. cum *VMD* 2 ANS.]. A. M post deum corde suus] corda D suus
expunct. M 4 scripta] sunt add. D 8 et expressa] et om. M; ac expressa D
13 vel om. V 13-14 confectiones V

extorquent confixiones. Quod ignorare nequiverunt illi qui ea die vultum 15
meum inspexerunt, quando me episcopi et abbates alique primates ad eccle-
siam trahentes reclamantem et contradicentem rapuerunt, ita ut dubium videri
posset utrum sanum insani, an insanum traherent sani; nisi quia illi canebant 18
et ego, magis mortuo quam viventi colore similis, stupore et dolore pallebam;
et illi qui postea ipsa die me inusitate lugentem, dolore rationem superante,
cum intente mihi licuit cogitare et vestram dilectionem et onus quod meae 21
imbecillitati imponebatur, de longe audientes accurrerunt, et videntes me aut
animam aut sensum amissurum timuerunt, et hoc timore aqua benedicta me
aspergentes eam mihi potandam porrexerunt. 24

Forsitan mihi erubescendum est quia vulnera doloris sic animam meam
totam intentam in scissuram sui ab animabus vestris et in grave periculum
suum superaverunt et adhuc sic superant, ut gemitus profundos fluentibus 27
lacrimis saepe toleret. Sed certe non erubesco confiteri quia timor dei et
caritas hominum, maxime vestra, sic eam vulneraverunt et vulnerant. Quae
omnia testimonium perhibent conscientiae meae, quo desiderio quave pro- 30
curatione exspectavi celsitudinem et onus archiepiscopatus et quo gaudio
suscipio. Quod si aliqui de me aliter suspicantur, quam mea de se conscientia
coram deo iudicet, consolatur me quia »pro minimo mihi« debet esse ut 33
ab illis »diudicer aut ab humano die«, et quia hanc vitam transitori sumus
»per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces, sicut qui ignoti
et cogniti«, – tantum conscientia mea non me accuset ante deum. 36

Huic autem de me electioni immo violentiae hactenus quantum potui,
servata veritate, reluctatus sum; sed iam velim nolim cogor fateri quia co-
tidie iudicia dei magis ac magis conatui meo resistunt, ut iam nullo modo 39
videam me ea posse fugere, nec sine gravi malo corporali et spirituali ex
utraque parte, nec sine ira dei intentionem inceptam me posse aut ullum
aliud aliquatenus impedire. Unde iam non tam hominum quam dei, contra 42
quem non est prudentia aut fortitudo, victus violentia, hoc solo intelligo me
uti debere consilio, ut, postquam oravi quantum potui, et conatus sum ut,
»si possibile« esset, »calix iste« transiret »a me« ne biberem »illum«, et 45

16 quando etc.] Cf. *Hist. Nov.* (35 s.; 367 s.). 33-34 humano die] Cf. 1 Cor.
4,3. 35-36 cogniti] 2 Cor. 6,8. 45 a me] Cf. Matth. 26,39. illum] Cf.
ibidem, 42.

21-22 imbecillitati meae MD 26 scissuram D 32 conscientia de se D 33 iu-
dicar corr. ex iudicer M 41 inceptam] conceptam V

orationem meam video repelli conatumque frangi, iam dicam deo: «Verum-
tamen non sicut ego volo, sed sicut tu» vis. Cum enim ex utraque parte
48 deum timeam nec aliquid nisi deum et homines propter deum utrimque
diligam, nihil mihi puto tutius in re tam periculosa, quam ut meum sensum
et voluntatem postponens me sensui et voluntati dei penitus committam.

51 Et quamvis in hac re mihi nimis sit grave dare et vobis accipere
consilium quod contra meum et vestrum affectum sit, tamen quia ego et
vos magis sumus dei quam ego vester aut vos mei – »sive enim vivimus
54 sive morimur, domini sumus« –: non audeo in causa dei et in tanta
necessitate mihi commissis ad consulendum – quidquid homines suspicentur –
meum coram deo subtrahere consilium. Consulo igitur dilectissimis dilec-
57 toribus meis, ut nulla res faciat vos pertinaciter ordinationi dei obviare,
quia »quasi peccatum ariolandi est« »nolle acquiescere«, et »durum«
nimis »est contra« dei »stimulum calcitrare«. Ad hoc enim res ista indu-
60 bitabiliter iudicio dei perducitur, ut aut necesse sit me – si quid boni deus
dignatur per me operari – servire et prodesse vobis et multis aliis, aut
omnino nec mihi nec vobis nec aliis, non deficiente voluntate sed potestate.

63 Quod si ob vestram pertinaciam contigerit, facietis senectutem meam
in inconsolabili tristitia deduci et deficere propter magna et multimoda mala
quae inde sequuntur; et mihi et vobis iuste videbuntur imputari, etiam ab
66 iis qui modo ea non praevident. Si enim sciretis ipsa sola dilatio quanta
mala iam fecit corporibus et animabus, et quam execrabilis ipsa sit et illi
pariter per quos fit, melioribus et prudentioribus, ipsi quoque populo Angliae,
69 puto quia et vos – si inhumani non estis – eandem dilationem execra-
remini.

Mirum forsitan vobis videtur quod dico, et multi qui me intus non
72 vident et praecipites sunt alienas conscientias quas ignorant iudicare, de me
perversum aliquid iudicabunt, quia sic vobis de hac re loquor; sed coram
deo loquor, cui revelo viam meam et spero in eo ut ipse faciat, quia non

46-47 sicut tu] Ibidem, 39. 53-54 sumus] Rom. 14, 8 (Vulg.: enim] ergo). 58
acquiescere] 1 Reg. 15,23. 58-59 calcitrare] Act. 9,5. 74 faciat] Cf. Ps.
36,5.

46 conatumque] et conatum MD 57 vos om. MD 59 contra stimulum dei MD
60 ut aut] aut om. V 65-66 ab iis] ab his D ab hiis V 67 ipsa] ipsis D
illi] illis corr. ex illi M; illis D 68 pariter om. MD per] om. M; apud in-
sert. M; apud D 74 revelabo D

me accusat coram eo conscientia mea, quod me concupiscentia terrenarum⁷⁵
divitiarum aut celsitudinis ad haec dicta trahat. Si quis deinceps aliter de
me senserit, puto quia adversus veritatem erit, et deus mihi testis adversus
illum erit. 78

Valete; et dominus qui dirigit »mansuetos in iudicio« et docet non
rigidos sed »mites vias suas«, dirigat sensus vestros et voluntates in huius
negotii iudicio. 81

149.

Ab OSBERNO monacho Cantuariensi.

Eum implorat, ut onus archiepiscopatus Cantuariensis subeat, admonetque, ne
quid inconsulte in archiepiscopatu agat.

*Domino sanctissimo atque carissimo, electo Anglorum archiepiscopo
ANSELMO: suus, quod semper erat et semper esse desiderat, servus et filius,
frater OSBERNUS, ita rectis consiliis agi, ut deum recta consilia dantem³
valeat promereri.*

*Cum te, carissime domine, in omni veritatis cognitione scientissimum
esse sciam, mirum valde quod hac in sola re sic omnimoda cognoscendi⁶
veri scientia aufugerit, ut quid deo placitum sit in eo, quod communis de
te sanctae ecclesiae sententia tulit, ignorare possis. Aut si animus tuus in
hanc potissimum sententiam vergit, ut quod generalis electio, vel omnium⁹
vel certe quam multo maxime plurium – et eorum sapientissimorum –,
deo placere clamat, solus tu illi displicere contendas: verendum, pretio-
sissime domine, est ne prae omnibus hominibus melior sanctiorque videri¹²
velle videaris, dum quod illi rectissime intelligunt, rectius quasi a te intel-
lectum defendere coneris. Ut enim in offenso dulcissimo mihi amore tuo*

79-80 vias suas] Cf. Ps. 24,9.

3 OSB.] De eo cf. Ep. 39, 66 et 67.

Ad Ep. 149: Scripta eodem fere tempore.

75 mea om. D 77-78 deus testis erit mihi adv. illum D Ep. 149 (prius
III, 2) coll. cum VLP in LP haec epistola ultima libri primi est 2 ANS.]
.A. P 3 frater OSBERN. om. LP; in L Osbernus supra lineam inserta (a
manu prima?) 10 plurimum P

15 loquar: aut cunctis – quod non credimus – meliorem te fateberis, quippe
cui soli revelatum est quod universae Anglorum ecclesiae fas non erat
revelari; aut facias necesse est quod universalis Anglorum suadet ecclesia,
18 hoc est, ut pontificalis infulae principatum inter beatos apostolos suscipere
non renuas.

Sed forte exspectas deum maioribus quod coepit indiciis probaturum.
21 Non ausim dicere, pro eo quod te sapientissimum scio; sed timeo ne talia
quaerenti ex obliquo respondeatur: »non tentabis dominum deum tuum«.
Quid namque insignius ad te eligendum ostenderet deus, quam, ut tu
24 promovereris, regem triumphis nobilem, severitate cunctis formidabilem lecto
decubuisse, ad mortem usque aegrotavisse; te autem promotum statim eundem
respiravisse, convaluisse atque ex fero et immani milissimum pariter ac
27 mansuetissimum redditum fuisse? Quid, inquam, aut ad effectum dulcius
aut ad innocentiam praestantius, quam te ante lectum aegrotantis violenter
pertractum, dextram aliorum dextris impudenter de sinu extractam, sinistram
30 ne sororem iuaret fortiter retentam, virgam, caeteris digitulis pertinaciter
occlusis, pollici atque indici crudeliter impactam, post haec toto corpore e
terra te elevatum, episcopalibus brachiis ad ecclesiam deportatum, ibique,
33 adhuc te reclamante et importunis nimis obsistente, 'Te deum laudamus' esse
cantatum?

Quid, inquam, vel ad divinas laudes magnificentius vel ad humana
36 spectacula gaudentius, quam quod in tua electione, exclusis omnibus trans-
actae tempestatis afflictionibus, omnia ad proprii iuris possessionem veluti
iubileo termino cucurrerunt, dum vincti ad expeditionem, carcerati ad lucem,
39 captivi ad libertatem, oppressi dirissimis exactorum furoribus redierint ad
erectionem? Omnia haec te loquuntur, tibi famulantur, tuis meritis ascri-
buntur.

42 Quod si omnes hae divinae blanditiae ad consentiendum te non
excitaverint, profecto noveris districta animadversione aequissimum iudicem

18 inter beatos apostolos] Prima ecclesia Cantuariensis apostolis PETRO et PAULO
consecrata erat (postea s. AUGUSTINO, primo archiepiscopo Cantuariensi, qui ibidem
sepultus est). Ecclesia vero cathedralis Christo Salvatori sacra erat. 27-34 cantatum]
Ad haec cf. *Hist. Nov.* (35 s.; 367 s.).

17 eccl. suadet V 18 infulae] insulae V 21 pro eo] propterea V 22 non]
Non V 27 inquam] unquam LP 29 aliorum dextris om. LP 31 occlusis]
ac clausis LP 32 te elevatum] te om. LP 38 concurrerunt LP

tecum acturum, taliterque in die iudicii adversum te propositurum: ,O homo meis uberibus nutrite, meis laboribus fote, meis virtutibus ditare, meis 45 doctrinis illuminate, meis honoribus sublimare: quam tibi molestiam ingessi ut me praeceptorem fugeris, monitorem contempseris, imponentis iugum erecta cervice abieceris? Nonne satius erat nil mihi de tuo contulisse, 48 quam quae mea fuere crudeliter abstulisse? An non constabat per tuam negligentiam ablatum, quod per tuam mihi diligentiam non est allatum? Cur non cogitabas infinita hominum millia te occidis, dum paucorum 51 volebas saluti consulere? Ecce etenim sponsa mea, sancta Cantuariensis ecclesia, apostoli mei PETRI benedictione a principio sanctificata, piissimo piissimi GREGORII studio nobiliter fundata, sanctorum BONIFACII, 54 HONORII, VITALIANI, AGATHONIS et ceterorum orthodoxorum patrum singulari semper privilegio donata; ad quam, salva Romanae et Apostolicae Sedis auctoritate, omnium circa regionum ecclesiae in suis op- 57 pressionibus confugere, atque ab ea tuendae libertatis praesidia expetere simul ac suscipere solebant: ecce illa talis »omnium peripsema« effecta, omnium pertranseuntium pedibus conculcata, non solum nulla perditae li- 60 bertatis iura caeteris restituere, sed nec sua multo tempore valuit illibata custodire. Homines autem, quos ei ad custodiam castitatis deputavi, a quibus servandae integritatis illius fidem accepi, non modo ipsi nil defen- 63 sionis adversus alios incesti cupidos paravere, immo ipsi flagitiosissimum corruptionis negotium meditati sunt. Cumque illa, non immemor quam

54 GREG.] Scil. papa I. (590-604). Cf. BEDA, *Hist. eccles. Angl.*, l. I, c. 23 ss. (PL 95, 52 ss.). BONIF.] Papa V., Ordinis s. BENEDICTI (619-625), qui per epistolam ad archiepiscopum IUSTUM ecclesiam Cantuariensem ad sedem Metropolitanam promovit (ibidem, l. II, c. 8 [PL 95, 93 s.]; cf. etiam epistolam interpolatam in *Hist. Nov.* l. V [262 s.; in edit. Migne (506) solummodo initium epistolae datur]). 55 HONOR.] Papa I. (625-638), qui HONORIO archiepiscopo Cantuariensi pallium misit (cf. ibidem, c. 18 [PL 95, 111 s.]; *Hist. Nov.*, l. c. [263 ss.; 506]). VITAL.] Papa (657-672), qui monachum Tarsensem THEODORUM archiepiscopum Cantuariensem nominavit eique ecclesiam Angliae de novo instituentem tradidit; cf. ibidem, l. IV (PL 95, 171 ss.; *Hist. Nov.*, l. c. [265 s.; 506 s.]). AGATH.] Papa (678-681). 59 omnium peripsema] I Cor. 4, 13.

45 fote] ad adulte (!) V (meis laboribus fote om. editiones) 46 ingessi corr. ex ingresse L; ex ingressi P 49 astulisse P 50 quod - allatum om. LP 51 cogitabis V 52 catuar. V 54 bonefacii LP 55-56 patrum] petri L (rasura; an corr. ex patrum?) P 58 expetere om. P 59 solebat LP 62 custodire] servare LP 63 ipsi nil] ipsi om. LP nil] nihil V

66 fuerit magno acquisita, quam legibus coniuncta, quam denique muneribus dotata, reluctando succlamasset: illi, abreptis ornamentorum suorum vestibus, nudam, venalem et confusione plenam eandem reliquerunt.

69 Exclamat itaque multiplex filiorum caterva, quos in lavacro secundae nativitatis ipsa mihi genuerat et intra gremium sanctae dilectionis tenerius nutrierat, maternae cupiens verecundiae mederi, eiusque nuditatem oppanso
72 velamine tueri. Ecce qui matrem afflixerant, gravioribus in filios molestiis desaeviunt, dum hunc ab uberibus raptum miseranda caede discerpunt, illum ferrugineo stridore premunt, alter caeca latibula inhabitat, alius longa
75 exsilia deplorat. Quodque ad scelus praecipuum fuerat, dum se adulteri homines simulata calliditate innocentes prodere vellent, in tantum apud terrenas potestates odium matrem cum prole adduxerunt, ut quicumque eas
78 interficeret, »obsequium se praestare deo« arbitraretur. Ultimum vero et quasi palmare totius mali flagitium exstitit, cuius radix, si in lucem solis huius perlata fuisset, non solum hanc exhorreret Christianus, verum etiam
81 omnis execraretur paganus, Iudaeus atque haereticus.

Ego autem ultra non ferens tantam sponsae meae calamitatem, ex tota hominum plenitudine te, ANSELME, elegi, atque ad zelandum pro
84 me amicum sponsi exhibui. Doctrinam contuli, virtutem largitus sum. Praemonstravi oraculis, comprobavi miraculis. Verum tu mihi praetulisti Normanniae comitem, deo vermem, viventi mortalem, latitudini Anglorum
87 angustae solitudinis nidum. Excessitne animo PETRUM apostolum Antiochiae inthronizatum, nec tamen ullorum singultibus ne Romanos experiretur furores praepeditum? Cur te fugit PAULI caput Miletinorum atque
90 Ephesiorum fletibus irroratum, nec tamen a sulcando aequore, quod eum ad exterarum transmitteret nationes, prohibitum? Rogo, hominum sapientissime, si talibus te sentiis iudex impeteret: nonne rationum pondere pressus
93 ,parce, iudex', clamares?

Iam vero, si illam, cui tu noviter attitulatus es, ecclesiam non tanti apud deum meriti esse dixeris, grande eius meritum licet agnoscas.

69-70 in lavacro secundae nativitatis] Cf. Ioh. 3, 5. 77-78 arbitraretur] Ioh. 16,2.
84 amicum sponsi] Cf. Ioh. 3,29.

70 intra] infra P 73 discerpunt] disceppunt V discerpiunt L (in P i expunctum)
74 ferrugined corr. ex ferrugiend V illum ferr. strid. premunt om. P 76 hominis
LP 77 eas] eos V 78 arbitrarentur LP 82 meae om. LP 86 Norman-
niae om. LP 88 ullorum] illorum P 91 nationes transmitteret P

LAURENTIUM namque archiepiscopum multo verbere a praefato apostolo 96
novimus flagellatum, propterea quod paganorum metu contritus fugam
inierit, et eandem ecclesiam adhuc in fidei perceptione rudem derelinquere
tentaverit. Item beatissimo confessori Christi *DUNSTANO* idem apostolus 99
cum coapostolis *PAULO* atque *ANDREA* splendens apparuit, eique tra-
dens gladium verbo dei inscriptum, futurum illum – ut postea evenit –
eiusdem ecclesiae pontificem praefiguravit. Quod si tanta Christi et aposto- 102
lorum dignatio super eandem ecclesiam ab initio fuisse perhibetur: magno
tibi providendum est opere, qui sanctissimam scientiam habes, ne huius di-
gnationis participium refugias, cum neque sis privata gratia exhibitus neque 105
mercenarius neque *SIMONIS* discipulus, sed quem et divina vocavit electio
et apostolica informavit institutio.

Praeterea, quamvis monitore non egeas, pro affectu tamen monere te 108
audebo, ut nihil inconsulte agas nec alieno multum a nobis consilio –
sive in consecratione tua sit, sive in rebus ecclesiae dandis aut mutandis –,
ideo quod novimus sanctissimum praedecessorem tuum multa primo adven'us 111
sui tempore ordinasse, quae omni tempore sibi postmodum displicuere. Sunt
enim plures qui circa destructionem ecclesiae semper laboraverunt, qui nunc
putant quam maxime se regnatos, dicentes te cum deo semper acturum, 114
res ecclesiae non curaturum, – quasi res ecclesiae curare non sit cum deo
agere. Sed deo auxiliante, cum te cognoverint quemadmodum ego, puto
illos secus dicturos ac sensuros. 117

Iam nunc repeto omnibus medullis optando quod praemisi salutando,
orans deum ita te rectis consiliis agi, ut deum recta consilia dantem valeas
promereri, domine sanctissime, sapientissime et super omnes animo dul- 120
cissime.

96 LAUR.] Archiepiscopus Cantuariensis a. 604-619. Ad rem cf. BEDA, *Hist. eccl. Angl.*, l. II, c. 6 (PL 95, 91). 99 DUNST.] Archiepiscopus Cantuariensis a. 960-988. Ad rem cf. *Vitam* eius ab ipso OSBERNO, n. 23 (PL 137, 433 s.), scriptam 101 verbo dei] Scil. *In principio erat verbum* etc. (cf. ibidem). 106 mercenarius] Cf. Ioh. 10, 12 s. 106 SIMONIS] Cf. Act. 8, 18 ss. 118 praemisi salutando] Cf. lin. 3-4.

99 tentavit LP Item] sic correxi; Idem mss. 101 illum om. P 102 eiusdem] eidem P 107 informavit] formavit LP 108-117 Praeterea - sensuros om. LP

150.

GONDULFI episcopi Rofensis ad monachos Beccenses.

Admonet eos, ut electionem ANSELMi, quam impedire iam non possint, libenter et sine dilatione concedant.

GONDULFUS, gratia dei Rofensis episcopus: dominis et amicis suis carissimis, servis dei Becci consistentibus salutem et fideles orationes.

³ *Carissimi, vestrae dilectioni cognitum est quantum temporis sit, ex quo Anglica ecclesia proprio est orbata ac destituta pastore, atque omni paterna desolata consola'ione. Sed deus ploratus orphanorum, gemitus et*
⁶ *suspiria hactenus longissima viduarum, preces quoque fidelium suorum miseratus exaudiens, tandem sua gratia eam consolando visitare dignatus est. Ipsius namque inenarrabili potentia operante dedit dominus noster rex An-*
⁹ *glorum consilio et rogatu principum suorum, cleri quoque et populi petitione et electione, domno abbati ANSELMO Cantuariensis ecclesiae gubernationem. Quod quidem piissima dei operatione et ordinatione factum esse*
¹² *non dubium est.*

Quapropter humiliter mandamus et vehementer precamur, ut fratres carissimos et amicos dulcissimos, quatenus omnem tristiam vel cordis indignationem, si qua est, deponentes, divinae voluntatis operationi et bonorum virorum electioni nequaquam resistatis, sed deo gratias agentes quod factum est cum gaudio et bona voluntate concedatis.

¹⁸ *Est etiam aliud quod vos latere non debet. Impediri quidem res istas fortassis ad tempus potest, omnino autem remanere nullo modo potest. Verum enim dico vobis, notitia et consilium huius rei multum processit, et*
²¹ *sine dubio usque ad Sedem Apostolicam iam pervenit. Utimini igitur sapienti consilio, et per caritatem facite sine dilatione, quod quandoque facturi estis sine dubitatione. Valete.*

Ad Ep. 150: Scripta aliquanto tempore post d. 6. Martii. [GOND.] De eo cf. Ep. 4, et saepius. Is munere administratoris ecclesiae Cantuariensisungebatur (cf. *Hist. Nov.* 37 et 39; 369 s.).

Ep. 150 (prius III, 3) coll. cum VC 9 principium V

151.

Ad monachos Beccenses.

Concedit quod per BALDUINUM et TEZONEM petiverunt. — Gratias agit quod per os TEZONIS assensum ad suam electionem praebuerint; rogat tamen, ut eum per epistolas unam sibi et alteram regi missas confirmet.

Dominis et fratribus et filiis dilectissimis, monachis Beccensibus: dilectissimus et abbas eorum, frater ANSELMUS, continua dei protectione et consolatione gaudere.

3

Quod humiliter per domnum BALDUINUM et domnum TEZONEM petivistis, et si praesens essem, supplici devotione per vos petivissetis: paterno et pio affectu omnibus petentibus, ut filiis dilectissimis, concedo, quod 6 ex me est; et oro deum ut ipse misericorditer concedat, quod ex ipso est.

Cum de sorte archiepiscopatus, quae super me divina cecidit dispositione, loquor vobiscum: valde alienum et a me et a vobis videtur — si 9 consideretur mutuus noster affectus — me vobis inde consulere, et vos mecum consilium accipere. Sed si quis consideret quia plus deo quam nobismetipsis debemus: non ei mirum videbitur, si ego in causa dei commissis mihi ad 12 consulendum, quos nullo modo eisdem ipsis testibus a recto volo deviare, consulo contra meum et illorum affectum secundum voluntatem dei.

Bene fecistis, quia concessionem vestram mihi per domnum TEZONEM 15 mandastis, quandoquidem res nec per me nec per vos mutari potest; sed melius facietis, si per epistolas, unam regi alteram mihi, mandabitis quia quod deus dignabitur de me disponere, et idem rex et comes, qui domini 18 sunt ecclesiae nostrae, ordinauerint secundum timorem dei, et archiepiscopus noster religiosa et ecclesiastica ratione iusserit, et mihi videbitur, humili devotione propter timorem dei conceditis, et me deo et ecclesiae eius com- 21 mittitis. Hoc retento ut, in quantum possibile vobis erit, nostro semper fruamini quamdiu vivam consilio. Hoc consulo, hoc hortor, quia sic oportet

Ad Ep. 151: Scripta iisdem fere temporibus. 4 BALD.] De Tornaco. De eo cf. Ep. 124; *Hist. Nov.* 67; 388, et 73; 393, et saepius. 8 cecidit] Cf. Act. 1, 26. 18 comes] Normanniae ROBERTUS (cf. Ep. 153). 19-20 archiep. noster] Rotomagensis WILLELMUS (cf. Ep. 154).

Ep. 151 (prius III, 4) coll. cum VC 20 mihi] bonum add. C

24 fieri, ut et vos plus voluntati dei quam vestrae subditos esse ostendatis, et
regis gratiam, quae vobis necessaria est, sine omni proficuo, immo cum
damno maximo non perdatis, et mentem meam multis molestiis onustam
27 onustio rem dissensione vestra non faciatis.

Comitissae Vermendensi quae ad vos venit, ut audiui, larga et be-
nigna voluntate honorifice omnibus modis quibus potestis, secundum volunta-
30 tem eius servite. Grandis enim vester honor est, et multum hoc nostrae
profuturum est ecclesiae, sicut spero. Illam ex nostra parte dulciter salutate.
Valete.

152.

Ab OSBERNO monacho Cantuariensi.

Eum obsecrat, ut inaugurationem suam acceleret.

*Domino sanctissimo, patri dulcissimo, iam nunc – quod non sine
desperatione dico – Anglorum archiepiscopo ANSELMO: servus et filius
3 suus OSBERNUS salutes luctu et lacrimis plenas.*

*Quo usque, dulcissime domine, desideria nostra suspendis, »quo usque
animas nostras tollis?» Si »tu es qui venturus es«, veniendo ad nos ostende;
6 nec velis diutius bonum differre, quod ab aeterno consilio profectum humano
generi Christus dignatus est impertire. Alioquin, mi dulcissime, »commovisti
terram et conturbasti eam«; potiusque esset mortis nos dispendia sustinuisse,
9 quam super tuo nomine aliquid umquam accepisse.*

*Quid enim putas qui luctus, quae lacrimae adversum te hodie fun-
duntur, quae ante hoc tempus in conspectu dei pro te fundebantur? Quae
12 maior potest esse miseria, quam homines, quibus quasi noxiis humoribus
corpus ecclesiae gravabatur, nuperrime vidisse exclusos; et nunc eosdem*

28 comitissae Vermendensi] Cf. FOUQUIER-CHOLET, *Hist. des contes héréditaires du Vermand au IX, X, XI et XII s.* (1832). Ad Ep. 152: Scripta aliquanto tempore post d. 6. Martii a. 1093. 4-5 tollis] Ioh 10, 24 (Vulg.: animam nostram). 5 venturus es] Cf. Matth. 11, 3. 7-8 eam] Cf. Ps. 59, 4. 8 dispendia sustinuisse] Cf. Prov. 27, 12.

24 dei voluntati C 29 voluntate] valde add. C 31 salutare V Ep. 152 (prius III, 5) coll. cum VC 11 fundebantur?] om. V

non modo non exclusos, verum etiam videre corpori ecclesiae incorporatos? Puta, mi dulcissime omnium, adversum te istas esse querelas. Hiccine est 15 ille de quo tantum gaudebamus, de quo tam magna audiebamus? Ecce quomodo nos decepit, quomodo animas nostras interfecit! »Expectavimus pacem, et non« est »bonum; tempus medelae, et ecce clamor«. Hiccine 18 est ille, quem OSBERNUS hos tredecim annos ad populum tanto opere laudavit, quem in omni sermone magistrum et sanctissimum et sapientissimum praedicavit? Ecce, quomodo fecit novissima nostra peiora prioribus! 21

Credas, numquam haec desinent dici, nisi desieris elongari. Veni ergo, »tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum«. »Vestimentum tibi est, princeps esto noster«. Erit hoc deo ad laudem, 24 tibi ad mercedem, nobis ad vitam. Recuperemus in te quod in mortuo sanctissimo patre LANFRANCO nos cum toto mundo perdidimus; quem mortuum semper dolebimus, quoad usque illum in te viderimus. Deus 27 omnipotens: quicumque ANSELMUM ab incepto praepedierit, anathema in medio hominum sit. Credas me in maxima lacrimarum alluvione ista scripsisse et usque ad mortem sollicitum de te esse. Mater et omnes filii 30 te salutant.

153.

A ROBERTO duce Normanniae.

Ei praecipit, ut archiepiscopatum Cantuariæ suscipiat.

ROBERTUS, dux Normannorum: ANSELMO, venerabili abbati, vitae perennis frui collegio.

Legationem fratris mei, regis Anglorum, suscipiens, qua vos archie- 3 piscopatui Cantuariensis ecclesiae praeficere mandavit, tanti viri nolens petitioni resistere, vix tamen parui, sciens procul dubio vos universali eccle-

15 et 18 Hiccine est ille] Cf. Thren. 2, 15: Haecine est urbs. 17-18 clamor] Ier. 8, 15 (Vulg.: clamor] formido). 21 prioribus] Cf. Matth. 12, 45. 23 opprobrium] Is. 4, 1. 24 noster] Ibidem, 3, 6. **Ad Ep. 153:** Scripta ante d. 15. Augusti eiusdem anni (cf. Ep. 156 et 157). De consensu ducis per epistolam cf. *Hist. Nov.* 37 s.; 369. 1 ROB.] Dux Normanniae, usque ad a. 1107 (+ 1134).

16 audiebamus?)] om. C

Ep. 153 (w VIII) coll. cum Lw 5 petioni L

6 *siae pernecessarium fore patriaeque et mihi. Unde vestram commoneo di-*
lectionem, voluntati fratris mei satisfaciens, quatenus archiepiscopatum Can-
tuariae, tanto dignus honore, ut revera credo, suscipere ne formiditis,
 9 *mandans me non solum concedere, verum etiam vitam moresque vestros*
cognoscendo prae omnibus desiderare. Valete.

154.

A WILLELMO archiepiscopo Rotomagensi.

Eum curam ecclesiae Cantuariensis suscipere iubet.

Frater WILLELMUS archiepiscopus Rotomagensis: suo domino et amico, reverendo abbati ANSELMO, dei benedictionem et nostram.

3 *De iis quae de vobis a me rex quaesivit, et de quibus ipse mihi*
scripsistis, sicuti de tanta re decuit, hucusque diu multumque pertractavi
et amicorum meorum ac vestrorum super hoc consilium quaesivi. Qui
 6 *utrumque voluissent, si possibile fuisset: et vestram semper ut olim habere*
praesentiam, et non facere unde offenderent voluntatem divinam. Sed
quia ad hoc res venit, ut utrumque impleri nequeat: sicut dignum est,
 9 *divinam voluntatem nostrae praepoimus et nostram voluntatem divinae*
subicimus, atque ex parte dei et sancti PETRI omniumque amicorum
meorum ac vestrorum, qui secundum deum vos diligunt, iubeo ut pastorem
 12 *curam Cantuariensis ecclesiae et ecclesiastico more benedictionem episco-*
palem suscipiatis, oviumque vestrarum vobis – ut credimus – divinitus
commissarum suluti deinceps invigiletis. Valete, viscera mea.

Ad Ep. 154: Scripta eodem fere tempore quo Ep. praecedens. 1 WILL.]
 Archiepiscopus a. 1079-1110 (cf. Ep. 18, et passim).

6 patri aequae L 7 fratri L **Ep. 154** (*Hist. Nov.*, l. I [38; 369]) coll.
 cum L et r 1 WILL.] Guilelmus r Rotomagensis om. r 2 reverendo abbati
 om. r benedictione r 6 utrumque r 9 div. voluntatem] voluntatem bis L no-
 stram] vestram L 13 oviumque vestrarum] omniumque animarum L 14 viscera
 mea om. L

155.

A monachis Beccensibus.

Concedunt, etsi non unanimiter, ut suus abbas ad archiepiscopatum Cantuariensem promoveatur. – Domnum LANFRANCUM de consilio in capitulo habito plura relaturum esse scribunt.

Dulcissimo domino et patri suo, divinitus sibi olim dato abbati ANSELMO: humiles Beccensis ecclesiae servi et filii sui continua dei in omnibus viis suis protectione dirigi semper et muniri. 3

Audita concessione domini nostri Normanniae principis et archiepiscopi nostri Rotomagensis, quam de vobis ad petitionem regis Anglorum et omnium fere eiusdem gentis principum fecerunt, ut ad culmen scilicet 6 promoveamini archiepiscopatus, pro ea etiam quae ad nos de vobis pertinebat et a nobis expetebatur concessione omnes in unum congregati sumus, unusquisque nostrum de sua sententia ab eo qui praesidebat nominatim 9 est requisitus. Multa hinc et diversa a diversis nobis sensa et dicta sunt, quae modo replicanda et exponenda vobis minime sunt. Finem tantum ipsius rei propter quam convenimus, breviter vobis intimabimus. 12

Pars quaedam nostrum – quamvis pro dulci et unico pietatis erga vos affectu valde dolens atque tristis – propter dei tamen metum, cuius id nutu atque consilio agi creditur, libenter ad honorem et commodum 15 ecclesiae dei, secundum quod vos etiam consulitis, quod de vobis petitur concedit; pars vero nostrum altera, suo potius quam vestro utens atque fidens consilio ardentiori atque, ut sibi videtur, rectiori, amoris vestri zelo 18 minime id concedit nec ad concedendum ullis maiorum se sive minorum persuasionibus aliquo modo acquiescit. Quae autem pars alteram aut numero aut ratione praeponderet, domnus LANFRANCUS, qui interfuit et omnia 21

Ad Ep. 155: Scripta brevi post Ep. 153 et 154. 4 principis] Cf. Ep. 153. 5 Rotomagensis] Cf. Ep. 154. 16 consulitis] Cf. Ep. 148 et 151. 21 LANFR.] Dubitatur, an sit nepos archiepiscopi LANFRANCI et quondam abbas intrusus S. Wandregisii (cf. Ep. 137 et 138), cum *Breve Chronicon Fontanellense* dicat eum a. 1091 obisse (cf. *PL* 150, 617; M. RULE, *The Life and times of St. An-*

Ep. 155 (prius III, 6) coll. cum VC 7 proveamini V 11 minime] minime V

hinc apud nos gesta sive dicta et vidit et audivit, plenissime per se ipsum et sufficienter vobis dicet. Nos enim ista succincte et celeriter multum
 24 *dictamus, quia urget nos festinans lator praesentium ut sic agamus.*

Omnipotens dominus vitam vestram in beneplacito suo recte disponat, et ad communem fidelium suorum utilitatem et gaudium diu eam in
 27 *praesenti custodiat. Amen.*

156.

Ad BALDRICUM priorem ceterosque monachos Beccenses.

Defendit se a suspitione quod ad archiepiscopatum vitiosa cupiditate trahatur. - Probat se electioni resistere non potuisse. - Consolatur monachos de sua absentia. - Se excusat quod non omnibus singulis scribere queat. - Eis suadet, ut abbatem sibi substituere festinent. - Ut hanc epistolam etiam aliis, maxime episcopis et abbatibus, ostendant orat.

Suis dilectissimis, domno priori BALDRICO et aliis servis dei in Beccensi coenobio commanentibus: servus et conservus eorum frater ANSELMUS
 3 divino semper regi consilio et protegi auxilio.

Quamvis divina dispositio me a vobis corporaliter non sine gravi
 pioque cordis mei dolore separet, oro tamen deum, ut dilectio, qua ipso
 6 dante anima mea vos in utero suo complectitur, indissolubilis perseveret.
 Per quam deo propitiante semper vester ero servus, quia semper, quantum
 deus mihi dabit, ero vestris utilitatibus intentus. Nam etsi tanta sit ipsa

selm, t. I (1883), p. 353, nota 1). At nobis dubitandum non esse videtur, quin idem sit, cum capitulo Beccensi interfuerit neque de altero quodam LANFRANCO ullibi sermo sit. Notitia dicti *Chronicon* fide digna non est, praesertim cum alii fontes aliter dicant. Cf. MABILLONIUS, *Annales Ord. S. Bened.*, t. V, p. 244, ubi dicitur LANFRANCUM usque ad a. 1093 abbatem Fontanelleensem fuisse. Econtra aliud breve *Chronologium Fontanellense ms.* (BOUQUET, *Rec. des Historiens des Gaules et de la France*, t. XII [1781], p. 771) eum in catalogo abbatum Fontanell. ex toto praetermittit.
Ad Ep. 156: Die 15. Augusti a. 1093 a GIRARDO Beccum allata ibidemque publice lecta (cf. MILO CRISP., *Vita WILLELMI abbatis Beccensis* (PL 150, 715 s.). 1 BALDR.] De eo cf. Ep. 147.

Ep. 156 (prius III, 7) coll. cum VMDLPEFVⁱ 1 BALDR.] .B. M 1-2
 beccensis D 2 conservus] vel servus *suprascript.* M 8 dabit mihi MD

dilectio, ut saepe, cum intente cogito animos vestros <contristatos> de tam inspe- 9
rata et contra voluntatem nostra separatione, statim sua quadam tempestate,
velut mare ventis, intumescat et conturbetur cor meum et pluant oculi mei:
dulcius tamen mihi est hoc ab illa me tolerare, quam illam a me separare. 12
Novit enim deus, ante cuius conspectum secundum conscientiam meam loquor,
quia plus vos dilexi deo et vobis et me ipsum vobis, quam vos mihi sive
praelationem aut dominationem aut possessionem terrenam, quas habebam 15
pro vobis. Quam ob rem plus me gravat vestra tristitia de qualicumque,
si apud vos est, mei indigentia, quam me consoletur aliqua terrena celsitudo
vel opulentia. Ecce nunc in hac ipsa locutione, qua vobis absens loquor 18
dictando, testes mihi sunt lacrimae quas continere nequeunt oculi mei, et
vim mihi facientes singultus gutturis mei inundantes »a gemitu cordis mei«,
obturantes et interrompendo tardantes scriptori verba oris mei. 21

Quamvis sint quidam, ut audio – qui autem sint, deus scit –, qui
aut fingunt malitia aut suspicantur errore aut coguntur dicere indiscreto
dolore, quod magis trahar ad archiepiscopatum vitiosa cupiditate, quam 24
cogar religiosa necessitate. Quibus nescio quomodo possim persuadere quae
sit in hac re conscientia mea, si illis non satisfacit vita et conversatio mea.
Sic enim vixi iam per triginta tres annos in habitu monachico – tribus 27
scilicet sine praelatione, quindecim in prioratu, totidem in abbazia annis –,
ut omnes boni me diligerent qui me noverunt, non mea industria sed gratia
dei faciente, et magis illi qui me interius et familiarius noverunt; nec aliquis 30
in me videret aliquod opus, unde me praelatione delectari cognosceret.
Quid ergo faciam? Quomodo propulsabo et extinguam hanc falsam et odibilem
suspicionem, ne animabus eorum noceat qui me propter deum diligebant, 33
caritatem illis minuendo; aut eorum quibus quaecumque consilium aut
exemplum meae parvitatatis prodesse poterat, me peiorem quam sim illis
persuadendo; aut etiam horum et aliorum qui me non noverunt et hoc 36
audient, malum illis exemplum proponendo?

11 conturb. cor meum] Cf. Ps. 37, 11; 108, 22. 20 mei] Ps. 37, 9.

9 contristatos *supplevi*; *mss. om.* 10 nostra] nostram *LPVⁱF* 11 intumescit *P*
12 hoc *expunct.* *M*; *om. D* ab illa] ab *om. MD* illam] illa *V* 13 deus] dominus
P 14 et me ipsum vobis *om. D* 15 habeam *E*; habebam *corr. ex habeam Vⁱ*
21 scriptori] scitori *D* 23 aut¹] autem *Vⁱ* 26 satisfecit *Vⁱ* 27 monachico] mo-
chico *P* 28 sine praelatione] aut dominatione *add. MD* totidemque *MD* 35
me] ne *P* 36 non noverunt] innoverunt *Vⁱ* 37 exemplum *om. D (in F insert.)*
proponendo?] *sign. divis. MD*

Deus, tu qui omnia scis, non me iustifico secundum examen districti
 39 iudicii tui, quia ille magnus apostolus tuus, qui dicere potuit: »nihil« »mihi
 conscius sum«, cum hoc dixisset, subdidit: »sed non in hoc iustificatus sum,
 qui autem iudicat me dominus est«; et »vir ille simplex et rectus, timens
 42 deum et recedens a malo«, cui te ipso teste non erat »similis in terra«,
 dixit: »verebar omnia opera mea«; sed secundum quod anima mea com-
 prehendit conscientiam suam, coram te dico eam, ut omnes qui hanc meam
 45 epistolam legent aut audient, sub tuo testimonio sciant et credant eam. Tu,
 domine, vides, et tu esto testis meus quia nescio, sicut mea mihi conscientia
 dicit, quod me rapiat aut alliget ad consensum archiepiscopatus, ad quem
 48 subito raptus trahor, amor alicuius rei quam servus tuus, contemptor mundi,
 debeat contemnere; et quia, si mihi liceret servata oboedientia et caritate,
 quas propter te quantum dedisti volo custodire, potius eligerem sub praelato
 51 sicut monachus servire et oboedire, et ab illo consilium animae meae et
 necessaria corporis mei accipere, quam aliis hominibus dominari aut praeesse,
 sive ad animarum gubernationem sive ad corporalem sustentationem, aut
 54 terrenas divitias possidere. Tu vides, et tu esto testis meus quia, sicut mea
 mihi conscientia dicit, nescio quomodo me sine peccato possim evolvere ab
 hac me eligentium intentione; et quia timor tuus et caritas et oboedientia,
 57 quas tibi et ecclesiae tuae debeo, me cogunt, me ligant, ut non audeam
 religiosi precibus eorum et magno, sicut mihi ostendunt, desiderio pertinaciter
 contradicere. Domine, si fallit me conscientia mea, ostende mihi me ipsum
 60 et corripe me et »dirige in conspectu tuo viam meam«. Et sive tibi placeat
 ut quod inceptum est ab hominibus de hac mea electione fiat, sive potius
 ut non fiat, »deduc me« »in via tua, et ingrediar in veritate tua«. Domine,
 63 tu vides, sicut dixi, conscientiam meam, tu esto mihi testis ad eos qui aliter
 de me suspicantur, et ostende illis eam, ne leadant suas aut aliorum animas,
 male eam iudicantes.

66 Ecce, dilectissimi fratres mei, audistis vere conscientiam meam de
 archiepiscopatus desiderio sive contemptu. Si enim deo sciens mentior, nescio

39-40 conscius sum] 1 Cor. 4, 4. 40-41 dominus est] Ibidem. 41-42 a malo]
 Iob 1, 1 (Vulg.: timens] ac timens). 42 in terra] Ibidem, 2, 3. 43 mea] Ibi-
 dem, 9, 28. 60 meam] Ps. 5, 9. 62 tua] Ps. 85, 11.

40 dixisse E 47 quod] quid MD 59 me fallit F 60 tibi] mihi V 63 mihi
 om. D 65 iudicantes] sign. divis. MD 66 vere om. D

cui verum dicam. Si quis deinceps contra hoc quod de hac re sub testimonio dei invocatione dixi, voluerit aperte vel callide male me alicui 69 commendare: puto quia deus erit mecum adversus eum et pro me respondebit ei; ego vero consolabor me sub testimonio dei. Certus autem sum quia quidquid nocuit haec falsa suspicio alicui animae vel nocebit, peccatum hoc 72 super se suscipient, si plures sunt auctores eius; et sive unus sive plures sint, maxime super eum erit qui maxime eius auctor est.

Ad ea vero quibus quidam vestrum putant me potuisse rationabiliter 75 electioni praedictae resistere, breviter respondeo. Dicunt: Quando coactus est ut noster abbas fieret, tradidit se nobis in servum in nomine domini. Bene quia hoc feci in nomine domini. Quid hic intelligunt? An putant me 78 iurasse vobis servitutem per nomen domini? Utique non hoc feci. An quod dominus dicit: »si quid petieritis patrem in nomine meo«, sic intelligendum est, ac si diceret: si iuraveritis patri, petendo aliquid per nomen meum? 81 Aut quando dicimus: »adiutorium nostrum in nomine domini«, aut quotiens facimus aliquid sive dicimus in nomine domini, totiens iuramus per nomen domini? Nequaquam. Quomodo autem illa intelligantur, nihil nunc 84 ad me; quod vero ego tunc dixi 'in nomine domini', intellexi et intelligo: in domino, hoc est in deo. Quae in deo fiunt, secundum deum, id est recte, fiunt. Cum ergo tradidi me vobis in servum in nomine domini, tradidi 87 me vobis in servum, quantum potui, secundum deum.

Iudicate nunc si hoc modo abnegavi, aut si potui secundum deum abnegare dispositionem dei de me, cui vellem nollem recte subiacebam, aut 90 oboedientiam, cui me penitus tradideram. Cum enim professus sum monachum, abnegavi me ipsum mihi, ut deinceps meus non essem, id est non viverem secundum propriam voluntatem, sed secundum oboedientiam. Vera autem 93 oboedientia aut est deo aut ecclesiae dei, et post deum maxime praelatis. Hanc ergo non abiuravi nec abnegavi, sed potius servavi, cum dixi: 'in

80 meo] Ioh. 16, 23.

82 domini] Ps. 123, 8.

68 verum] vera *corr.* ex veram *M*; vera *D* 68-69 sub testimonio *MD* 69 dei] et *insert.* *M*; *add.* *D* dixi] me *add.* *V* male me] me *om.* *VMD* 73 sunt *om.* *P* 74 est auctor *D* est] *sign. divis.* *MDLPFV*ⁱ 76 Dicunt] enim *add.* *V* 78 quia] quod *MD* Bene - domini *om.* *E* An] Aut *V*ⁱ 79 hoc non *MD* 83 facimus] facientes *corr.* ex faciens *M*; facientes *D* sive dicimus *expunctum* *M*; *om.* *D* in nom. domini] dicimus *add.* *MD* 85 ego *om.* *F* tunc *om.* *P* 90 cui] cum *M* subiacebam *corr.* ex subiaceam *M* 92 vivere *LPV*ⁱ 94 dei *om.* *MD*

96 nomine domini'. Discite itaque quid vobis tunc dedi. Hoc utique, ut me
 vestro non possem subtrahere propria voluntate servitio nec quaerere ut
 subtraherer, nisi ea cogente dispositione et oboedientia, quarum prius se-
 99 cundum deum servus eram. Quod autem feci, si aliter fecissem quam dixi:
 certe vos monachi non essetis, si quod contra deum vobis promississem
 exigeretis. Numquam, antequam concederetis me ad archiepiscopatum pro-
 102 moveri, hanc meam vobis factam deditionem alicui exposui, sed obieci eam
 eam quasi firmissimum obstaculum ne promoverer; donec intellexi me volentes
 promovere in tanta suae voluntatis persistere constantia, ut ad hoc nihil
 105 obesse intelligerent, et ab incepto se nullatenus aut velle aut debere desistere
 assererent.

Dicunt etiam quidam quia et vobis secundum deum datus eram, et
 108 quibus recte praelatus eram, non recte me posse auferri ab illis nec me
 debere concedere. Beatus MARTINUS secundum deum abbas erat, et
 tamen monachis est ablati, et clericis et monachis et laicis viris et mulie-
 111 ribus est paelatus. PETRUS apostolus puto quia secundum deum Antiochiae
 cathedram episcopalem tenebat; nec tamen dicit aliquis quia peccavit, cum
 eam deserendo studio maioris fructus Romam migravit. An ideo dicendum
 114 est quia non diligebant priores discipulos suos, aut quia postea minus eos
 dilexerunt, aut quia deus contempsit et deseruit eos, quia isti eos corpora-
 liter deseruerunt? Utique non est dicendum. Fratres, non me comparo
 117 magnitudini eorum; sed tamen non ideo sum damnandus, si de me facit
 deus aliquid ad similitudinem eorum.

Forsitan dicit aliquis: Non es homo, cui tanta res conveniat. Hoc
 120 ipsum de me corde et ore iudico. Sed dicunt mihi: Qualiscumque sis: te
 volumus, te non dimittimus. Reminiscuntur quidam quia dicere solebam quod
 nollem vivere nisi vobis, et quia numquam aliam praelationem haberem
 123 quam Beccensem. Sed hoc secundum affectum meae voluntatis dicebam, et
 secundum hoc quod in defensione et responsione mea, si ad aliam praela-
 tionem vocarer, confidebam. Sed quid, si deus ordinat ut etiam aliis vivam
 126 et serviam? An debeo superbe resistere? Et ego et vos plus sumus dei,

96 Dicite *D* 104 ad hoc] et hoc *MDF* 105 debere *expunctum E* 106 as-
 sererent] *cum signo divis. MDLPFVⁱ* asserent *Vⁱ* 107 quia *om. Vⁱ* 108
 eram] *earum Vⁱ* 109 MART.] *primo mauritius; deinde ambo u expuncta; supra-*
script. martinus V 110 monachis] *monachus ELP* 113 studiis *Vⁱ* [fructus]
 fluctus *P* 118 eorum] *sign. divis. M* 119 Forsan *MDLPE* es] *est D* 120
 dicunt] *dicit Vⁱ* 121 dimittimus *sign. div. MF* 124 in *om. D*

quam ego vester et vos mei. Princeps apostolorum dixit domino: »Non lavabis mihi pedes in aeternum«. Talis erat voluntas eius. Sed quid dominus? »Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum«. Et ¹²⁹ PETRUS quid? »Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput«. Tamen non ideo deus illum damnavit, quia sententiam suam pro divina mutavit, immo ad pedes eius se humiliavit. Praesumebam de fortitudine ¹³² et ingenio meo ad me defendendum; sed fortior et ingeniosior me deus fuit, et ideo praesumptio mea nihil fuit.

Insipienter locutum me esse forsitan dicet aliquis, quasi me iustificando ¹³⁵ et dignum archiepiscopatu probando; sed falsi calumniatores mei me coegerunt, ne vos aut aliquem alium veneno suae falsitatis inficiant. Nec nitor me dignum archiepiscopatu probare, sed falsum crimen expurgare. Sed de iis, ¹³⁸ unde hactenus locutus sum, nunc ista sufficiant.

De consolatione vero vestra pauca subicio. Precor igitur vos, fratres mei dilectissimi, ut non contristemini ultra modum propter absentiam meam. ¹⁴¹ Certe tristitia vestra mea est tristitia, et consolatio vestra mea consolatio est. Non sit in homine spes vestra sed in deo; quia si quid vobis profui, non a me fuit sed ab eo. Multi propter me, et fere omnes Beccum venistis; ¹⁴⁴ sed nullus propter me monachus factus est nec propter spem retributionis meae. Vos deo vovistis; ab illo, cui totum dedistis quod habuistis, ab illo expectate totum quo indigetis. Iactate »cogitatum« vestrum »in domino, et ¹⁴⁷ ipse« vos »enutriet«. Convertite totam curam vestram ad illi serviendum, et ipse suscipiet totam curam vestram ad vos nutriendum.

De me vos precor ne minus me diligatis, si deus facit de me volun- ¹⁵⁰ tatem suam; et ne propter hoc perdam, si aliquando volui facere voluntatem vestram, quia nec audeo nec debeo nec possum deo resistere, nec adhuc video quomodo me possim ecclesiae Anglorum subtrahere, nisi deo resistendo. ¹⁵³ Appareat quia non me vobis solummodo dilexistis, sed et deo et mihi.

127-128 in aeternum] Ioh. 13, 8. 129 mecum] Ibidem (Vulg.: tibi pedes] te).
130 caput] Ibidem, 9. 135 Insp. locutum] Cf. Iob. 42, 3. 147-148 enu-
triet] Cf. Ps. 54, 23 (Vulg.: iacta super dominum curam tuam).

129-130 non habebis - pedes om. *Vⁱ* 130 pedes] meos *add. MD* et manus] et
om. P 131 illum deus *V* 134 fuit] *cum signo divis. DLPFVⁱ* 135 Insp.]
cum littera inil. maiori M 136 et 133 archiepiscopatum *Vⁱ* 138 de his *VFVⁱ*
140 De] *cum li't. inil. maiori M* 147 expectare *E* vestrum] tuum *P* 148 vos]
te P 148-149 ad illi serv. - curam vestram *om. Vⁱ* 149 vestram curam *Vⁱ* 152
vestram] suam *P* nec debeo nec audeo (nec audeo *insert. F* 154 dilexisti *ELPVⁱ*

Orate pro me, ut quidquid fiat de me, bono fine per gratiam dei consum-
 156 metur. Abbatem vestrum ex hac hora nolite me expectare; sed dilectorem
 vestrum et sollicitum pro vobis, quamdiu vivam, deo servante voluntatem
 quam mihi de vobis dedit, scitote. Numquam tamen dimittam potestatem
 159 ligandi et solvendi et vobis consulendi, quam habui in vobis, quamdiu
 abbas qui post me erit, et vos qui sub illo eritis, hoc mihi concedetis.

Flendo et vix dico: Domino nostro JESU Christo et piaie genitrici
 162 eius MARIAE, et beato PETRO, cui ipse commendavit oves suas, et
 beato BENEDICTO, secundum cuius regulam professi estis, et aliis sanctis
 dei vos commendo, dilectissimi fratres mei. Ipse qui vos redemit sanguine
 165 suo, eorum meritis et intercessionibus sit vester abbas, sit vester custos, ipse
 faciat vos post hanc vitam beate vivere in regno suo. Ibi sua pietate tribuat
 mihi vos videre et vobiscum sine fine gaudere, qui est deus benedictus in
 168 saecula. Amen.

Mirantur multi ex vobis, quos tam dulci et familiari dilectione amplecte-
 bar, ut unicuique videri posset me nullum alium pariter dilexisse, cur non
 171 illis singulis aliquam nostrae dilectionis commemorationem scribo. Sed sciunt
 quia non hoc facit oblivio mea, sed multitudo eorum. Et forsitan faciam,
 cum magis opportunum erit; et si non omnibus, saltem aliquibus. Hoc tantum
 174 ad praesens illis dico, ut reminiscantur quia non ob aliud eos sic dilexi,
 nisi ut ipsi deum et animas suas diligenter. Ipsi sunt mihi testes. Hoc de
 illis semper et de omnibus vobis desidero. Hoc precor, hoc moneo, hoc
 177 consulo. Hoc faciant, et sic semper dilectionem meam inviolabilem erga se
 servabunt. Abbatem vobis substituere festinate. Expedit enim vobis. Valet.

Hanc epistolam nostram quibuscumque potestis, pro excusatione falsae
 180 de me suspicionis ostendite; et maxime reverendis dominis et patribus meis,
 qui me propter deum sua gratia dilexerunt, episcopis et abbatibus, de quibus
 me magis gravat, si de me aliquid suspicando perversum falluntur. Nolo
 183 enim dilectionem eorum ullatenus perdere, sed semper eos venerando et
 diligendo illam mereri et custodire.

159 solvendi] Cf. Matth. 16, 19.

156 sed *om.* *P* delictorem *L* (dilect. *corr.* ex delict. *E*) 160 conceditis *D* 162
 eius *om.* *F* cui] cum *corr.* ex cui *V* 163 regulam] oboedientiam *add.* *MDLPEF*
 164 mei *om.* *MD* 166 vos faciat *D* beata *V* 167 vos mihi *P* 168 Amen]
sign. divis. *MDLPFV*¹ 169-170 amplectabar *V* (*a Picardo corr.*); *V*¹ 178
 Abbatem vobis] vobis *om.* *MD* Expedit] enim *add.* *V* 179 nostram] *om.* *MD*
 vestram *LPE* 180 de me *om.* *V* 181 sua *bis* *V*¹

157.

Ad eosdem.

Nuntiato se a cura abbatali absolutum esse, consulit, ut WILLELMUM, qui prior apud Pexium fuit, abbatem sibi eligant. Huic praecipit, ut electionem suscipiat; BALDRICUM vero, ne prioratum dimittat, inhihet.

Dulcissimis et dilectissimis suis, domno priori BALDRICO et aliis monachis Beccensibus: frater ANSELMUS, qui hactenus eis sub abbatis nomine servivit, a deo semper custodiri et protegi. 3

Deo de me quod vult, ut de creatura sua, velim nolim disponente, et reverendo domino nostro principe Normannorum ROBERTO concedente et archiepiscopo nostro WILLELMO praecipiente et vobis a deo coactis 6 faventibus, a vestra cura sum absolutus et maiori involutus.

Si deus vobis dederit eam gratiam praedicti domini nostri principis, ut de ecclesia nostra vobis velit dare abbatem et nostrum inde dignetur audire 9 consilium: illi et vobis dico quia de nullo mihi melius videtur quam de domno WILLELMO, qui prior fuit apud Pexium. Et si iussio gloriosi domini nostri principis in hoc fuerit – quod utinam ita fiat! – ego 12 quoque tibi, frater WILLELME, in nomine domini per sanctam oboedientiam praecipio, ut hanc curam in spe auxilii dei, tuam postponens requiem, pro fratrum tuorum utilitate humiliter suscipias. Istas litteras congruo tempore 15 et domino nostro et congregationi et quibus oportebit volo praesentari.

Tibi quoque, BALDRICE prior, per sanctam oboedientiam praecipio, ut quicumque sit abbas, prioratum non deseras, nisi eius et meo consensu, 18 dum vivo. Valet.

Ad Ep. 157: Missa simul cum Ep. praecedente (cf. *PL* 150, 716, ubi haec epistola allata est, non quidem iisdem verbis. sed potius secundum sensum). 5 concedente]
Cf. Ep. 153. 6 praecipiente] Cf. Ep. 154. 11 WILL.] Eius *Vitam* vide in *PL* 150, 713 ss. ap. Pexium] Hodie Poissy, Seine-et-Oise, quondam prioratus Beccensis.

Ep. 157 (prius III, 8) coll. cum *VLPEV*ⁱ 1 domno] domino *PV*ⁱ 6 coactis a deo *LPEV*ⁱ 11 pexerum *P* 14 postponens] post potens *V*ⁱ 17 oboediendam (!) *L*

158.

Ad ROGERUM abbatem Exaquii.

Huic primogenito et maiori Beccensium fratres Beccenses commendat, et ut eos salutet orat. — Se non cupiditate ad archiepiscopatum trahi affirmat.

Domino et patri, reverendo abbati ROGERO: frater ANSELMUS in hac vita prospere vivere in sanctitate, in futura feliciter in aeternitate.

3 Sic nobis invicem conscii sumus ego et vos mutuae dilectionis in deo, ut nec putem me indigere precibus, ut ipsa semper in nobis, quamdiu
vivetis, vivat; nec vos indigere persuasionibus, quia deo annuente, quamdiu
6 vivam, in me non deficiet. De ecclesia Becci, qua nihil in hoc mundo purius dilexi nec diligo, si vestra sanctitas supplicationibus indigeret: utique corde et litteris, quia verbis praesens nequeo, quantum possem supplicarem,
9 quatenus illi vestra consolatio et vestrum consilium et auxilium non deesset, et ut filios eius, velut primogenitus et maior frater eorum, paterna sollicitudine et materna dulcedine foveretis. Sed quoniam vestra prudentia et
12 vestrae caritatis sinceritas hoc vobis persuadere sine mea exhortatione sufficiunt et ego propter cordis abundantiam omnino tacere non valeo, hanc brevem commonitionem sufficere ex nostra parte existimo. Mementote dominici verbi
15 ad principem apostolorum, velut ad fratrum suorum primogenitum: »Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos«.

Salutate dominos et fratres nostros, filios vestros, et eis precibus nostris
18 et vestra commonitione persuadete, quatenus dilectio, qua me olim propter deum dilexerunt, sic non deficiat, sicut non deficit ille, propter quem illam inceperunt.

21 De conscientia mea ad archiepiscopatum incunctanter credite et secure aliis asserite quia nulla cupiditas — coram deo loquor —, quae in corde

Ad Ep. 158: Scripta eodem fere tempore, certe ante mensem Octobrem a. 1093 (cf. PL 150, 716: ROGERUS mense Octobri Beccum venit). I ROG.] Ex monacho Beccensi (in catalogo n. 107) abbas Exaquii (= Lessay); obiit ante mensem Augusti a. 1094 (cf. PL 150, 718). 10 primogenitus et maior] Is tunc temporis Beccensium senior tum aetate tum professione fuisse videtur. 15-16 tuos] Luc. 22, 32.

Ep. 158 (prius III, 9) coll. cum VLPEVⁱ 2 vivere] vivente E 4.5 quamdiu vivetis - deo annuente om. Vⁱ 13 valeam V 18 olim om. LPEVⁱ 21-22 incunctanter - nulla om. Vⁱ 22 in code Vⁱ

servi dei, contemptoris mundi, esse non debeat, me trahit aut alligat, sed timor et caritas et oboedientia dei et ecclesiae eius.

24

Litteras istas aut exemplum earum Becci videri facite. Valete.

159.

Ad GISLEBERTUM episcopum Ebroicensem.

Se defendit ab eius calumnia, quod cupiditate archiepiscopatus illaqueetur. - Ecclesiam Beccensem ei commendat.

Suo dilectissimo patri, reverendo domino Ebroicensi episcopo GISLEBERTO: frater ANSELMUS quod fidelis et filius.

In principio meae epistolae apud reverendam mihi paternitatem vestram 3 me excusare desidero quia quod tarde illi scribo, postquam sors gravis mihi archiepiscopatus super me cecidit, non hoc fecit negligentia vel oblivio, sed magna valde perturbati cordis mei dubitatio. Sic enim intra me luctabantur 6 timor dei et timor oneris quod subire cogebar, et dilectio eorum a quibus sine magna tristitia separari non poteram, ut, cum ordinationi dei resistere pertinaciter non auderem et grave pondus et scissuram animae meae ab 9 illorum animabus, quos sicut me diligebam et quibus solis vivere volebam, nimis horrerem: quoniam in neutra parte deum volebam offendere, omnino dubium mihi esset quid magis deberem eligere, aut ad quid potius auxilium 12 amicorum expetere. In qua re hoc unum et tutissimum, sicut mihi visum est, elegi consilium, ut - sicut scriptum est: »iacta cogitatum tuum in domino« - omnino me committerem divino moderamini et consilio. Ita 15 tamen ut facerem quidquid possem sine peccato, ut quod volebant de me facere qui me eligebant, non fieret, et nihil facerem quod sine peccato dimittere possem ut fieret. Quod quo affectu, qua simplicitate facere volui, 18 vel in quam partem cor meum magis pependit coram deo: ipse novit, ad

Ad Ep. 159: Scripta inter d. 15. Augusti et d. 4. Dec. a. 1093. 1 GISL.] Episcopus Ebroicensis (= Évreux) a. 1071-1112. 14-15 in domino] Ps. 54, 23 (Vulg.: iacta super dominum curam tuam).

Ep. 159 (prius III, 10) coll. cum VC 1 ebroicensi corr. ex ebroensi mss. 4
desiderio V

cuius regulam intentionem meam in hac re pro meo intellectu et possibilitate
21 volui dirigere.

Veniam ad hoc quod me non parum contristat, si verum est. Novit enim prudentia vestra, mi pater carissime, quoniam quanto sincerius aliquis
24 diligit et a dilecto diligitur, tanto molestius illi est, si dilectoris eius dilectio aliquo modo minuitur. Quoniam autem vestra celsitudo parvitatem meam dilexerit sincere dubitare non possum, quia hoc certissimis argumentis beneficiorum, quae mihi et ecclesiae Beccensi, cui hactenus sub nomine abbatis praefui, in dictis et factis et in multa benignitate et dulci pietate impendistis, probare possum. Quod quoniam nullis obsequiis aut beneficiis me
27 prius meruisse aut postea retribuuisse considero: valde me reprehensibilem ego ipse iudico, si paternam vestram sanctitatem fideliter non diligo. Quanto ergo vos diligo sincerius, tanto, si vestra dilectio erga me aliquatenus obnubilatur, mihi est amarius. Hoc idcirco dico, reverende mi pater et domine,
33 quoniam audiui quod paterna vestra sanctitas suspicetur me aliquatenus cupiditate archiepiscopatus, ad quem dolens et tristis et timens, multis lacrimis testantibus, trahor, illaqueari; unde valde timeo mentis vestrae benignitatem erga humilitatem meam, quamvis nequaquam hoc merear, decolorari.

Deum enim invoco testem, in cuius conspectu mentiri non debeo et quem mendacii testem invocare nefas esse scio: quia, secundum quod meam coram illo comprehendo conscientiam, mallet, si hoc servata caritate et
42 oboedientia, quas deo debeo et ecclesiae dei, propter deum possem, in monachica paupertate serviendo et oboediendo abbati regulariter subesse, quam uni vel multis vel omnibus hominibus dominando in terrena celsitudine
45 et opulentia terrenarum rerum praeesse. Certe, mi reverende pater – coram deo similiter loquor –, non mentem meam trahit aut alligat ad archiepiscopatum terrenae rei alicuius, quam servus dei, contemptor mundi, contemnere
48 debeat, cupiditas, sed timoris dei cogit, quam adhuc non video quomodo rumpere possim sine peccato, necessitas. Quod autem domino nostro, comiti Normannorum ROBERTO, et patri nostro, reverendo archiepiscopo WIL-
51 LELMO, et fratribus nostris Beccensibus mandavi me nullo modo posse amplius sine peccato resistere, et quia voluntati dei nullatenus possem absistere; et idcirco consilio virorum spiritualium et plus timentium deum quam hominem ageret idem archiepiscopus et mihi praeciperet sicut monacho, qui
54

non nisi per oboedientiam vivere vult, quid mihi potius faciendum esset; et quod scripsi praedictis fratribus rem ad hoc perducere inevitabiliter, ut aut illis et aliis prodessem, si ordinationi dei acquiescerent, aut nec illis nec aliis 57 prodessem, sed in tristitia viverem deinceps, si pertinaciter agerent, et idcirco illis consului, sicut mihi commissis ad consulendum, ut nihil nisi consilio spiritualium de concessione mei, quae ab illis exigebatur, facerent: quidam 60 non intelligentes quid me cogeret, putaverunt, cum haec legerent, me cupiditate archiepiscopatus esse devictum.

Sed certe non ita fuit nec est; sed videbam ex ipsa sola dilatione – 63 quia non determinabatur quid futurum esset de me – iam praesentia multa et gravia mala corporibus et animabus multorum nocentia nasci, et multo plura et graviora nascitura, si diutius differretur, quae nunc non est opus 66 dicere. Inter quae mala erat destructio Beccensis ecclesiae, et – ut intelligebam – irreparabilis, sicut erat inevitabilis. Quam si viderem, in tanta tristitia deinceps viverem, ut nec mihi nec ulli utilis essem. Sciebam etiam 69 quia propter concessionem vel contradictionem eorundem fratrum nostrorum nec magis nec minus quod inceptum erat fieret, et idcirco volebam ut illi sine culpa et sine omni occasione imminentis periculi essent, quidquid fieret. 72 Quod vero significavi voluntate dei fieri quod fiebat, cui non possem obsistere, non ita intellexi, quasi certus essem quia deo placeret, sed quia – sive misericordi sive irata – voluntate tamen dei, cui resisti non 75 potest, fieret. Solemus enim dicere, etiam cum certi sumus quia iratus aliquid facit deus, nullum posse voluntati eius resistere. Denique quidquid aliquis intelligat in litteris meis de archiepiscopatu: ego certus sum quia in simpli- 78 citate cordis mei, in quantum eam coram deo servare potui, locutus sum.

Precor igitur dilectam mihi paternitatem vestram, ut potius sentiam in dolore et timore meo miserationis vestrae consolationem, quam ad augmentum 81 meae tristitiae vestram indignationem. Quod non solum a vestra pietate, sed et ab omnibus qui me propter deum hactenus dilexerunt, desidero impetrare, ne aliquid pravum de me iniuste suspicantes eandem dilectionem malint 84 abicere quam servare. Sed quidquid illi faciant, oro deum et spero in deo quia ego semper eos diligam. Vestram autem rogo paternitatem, sicut de eius

56 scripsi] Cf. Ep. 148, 59 ss.

71 magis] maius *V* 76 certi sumus] certissimus *C* (in *V* correctura!) 83 desi-
dero] corr. ex desiderio (cf. lin. 4) *V*

87 confido dilectione, ut quotiens opus fuerit, apud alios fiducialiter me defendatis a praedictae cupiditatis suspicione.

Ecclesiam Beccensem, quam plus quam vitam corporis mei dilexi et
90 diligo, et quam tristis tristem de mei amissione, quantum ad corporalem praesentiam, non dubito, vestrae pietatis consilio et auxilio veluti animam meam, toto cordis affectu, lacrimis fluentibus, commendo. Quatenus illam
93 non solum per vos, sed et per quoscumque potestis, illos ad eiusdem ecclesiae miserationem pia vestra persuasione convertendo sustentetis.

Omnipotens dominus diu vestram paternitatem in hac vita sub suae
96 gratiae continua protectione custodiat et ad vitam aeternam perducatur. Siquidem haec epistola non habet, quia abbas iam non sum et archiepiscopus nondum sum, nec me delectat pingi quod non sum.

160.

Ad FULCONEM episcopum Belvacensem.

Dolet de amicorum absentia corporali. - Reicit eandem calumniam.

Dulcissimo et dilectissimo suo dilectori, episcopo Belvacensi FULCONI: frater ANSELMUS aeterna dei protectione et consolatione gaudere.

3 Scio, mi dulcis amice, quantum dilectio vestra de illius, quem super omnes homines diligit, insperata corporali amissione contristaretur, nisi se sapienter divinae dispositionis consideratione consolaretur. Sicut enim in
6 cordibus diligentium sese invicem spes et opportunitas confruendi se nutrit quandam delectabilem dulcedinem, ita eiusdem rei desperatio ingerit molestam amaritudinem. De qua re vestra prudentia meam potest cognoscere
9 conscientiam. Sic enim cognosco vestrae dilectionis erga me sinceritatem, ut certus sim vos non ignorare meae dilectionis erga vos et erga eos, quibus illam ostendebam, et maxime erga monachos Beccenses, veritatem. Nam
12 nullus sic cognoscit amici veri conscientiam, sicut ille qui veram gerit amicitiam. Considerate ergo quae possit esse in corde meo integra laetitia,

Ad Ep. 160: Scripta eodem fere tempore quo Ep. praecedens. de eo Ep. 126, et saepius.

1 FULC.] Cf.

Ep. 160 (prius III, 11) coll. cum VLPEV^t 3 mi] me V^t

quem tot amicorum me desiderantium et a me desideratorum contristat irreparabiliter perdita in hac vita praesentia. Unusquisque eorum de mei solius 15 amissione corporali dolet, et anima mea de omnibus, quia ab eorum praesentia invita tam inopinate scinditur, dolet. Nam etsi maior multitudo similem exhibentium dilectionem in Anglia me videatur laetificare, nullatenus tamen 18 tam longo tempore radicatam et nutritam priorem dilectionem de corde meo valet eradicare. Vera enim caritas non diligit minus priores amicos interius, etiam si exterius pariter nequeat operari, cum ad plures extenditur; sicut 21 nec a prioribus, si veri amici sunt, minus non timet diligi, cum a pluribus diligitur. Et quidem si qua mihi consolatio est multitudinis amicorum praesentia ad angorem quem gero de priorum absentia: illud utique efficere 24 nequit, ut non contrister de illorum, qui, quanto me magis diligunt, tanto magis contristantur de absentia dilecti dilectoris sui, tristitia. Delectat, cum dulci amico meo scribo, de caritatis sinceritate et de eius efficacia diu 27 tractare; sed quoniam epistolaris brevitās hoc non patitur, cum et aliud velim dicere, necesse est me iam materiam mutare.

Quidam – ut audivi – suspicantur me archiepiscopatus concupiscentia, 30 ad quem dolens et timens trahor, detineri. Quod sive suo errore, sive aliena persuasionē faciant: parcat illis deus, qui videt quia falluntur et peccant. Non me excuso apud vestram fraternitatem mihi dilectissimam, quae 33 ex quo me cognovit familiarissima et longa conversatione, meam indubitanter didicit et credidit de saecularis honoris ambitione conscientiam. Quam tanto verius cognovistis, quanto securius vos et totam vitam vestram sensui meo 36 iudicioque meo commisistis. Sed apud eos me excuso, quicumque hanc lecturi sunt epistolam, ut sciant quid mihi dicat conscientia mea coram deo; et aliis ignorantibus, cum opus erit, respondeant pro me, si non propter 39 me, vel propter deum. Multum enim nocet infirmis in ecclesia dei opinio alicuius vitii, sive vera sive falsa sit, de aliquo homine, et maxime de eo, qui sic est in ecclesia catholica constitutus, ut et verbo et exemplo vitae 42 aliis debeat et possit prodesse.

Sciant ergo omnes, sicut mea conscientia mihi dicit coram deo, quem invocare testem mendacii nefas esse scio, quia non me rapit aut alligat ad 45 archiepiscopatum Anglorum cupiditas alicuius rei, quam servus dei, contemptor

15 perditer *Vⁱ* 20 minus²³ diligit *PVⁱ* 21 etiam *om. Vⁱ* 25 quanto]
 tanto *Vⁱ* me *om. P* 26 Delectat] me *add. Vⁱ* 36 vos securius *LPEVⁱ* 44
 omnes ergo *Vⁱ* 45 mendacii] monachis (!) *V*

mundi, contemnere debeat, sed timor dei me cogit pati ut, quamvis dolens
 48 et timens, ab ecclesia dei trahar; et quia, si mihi liceret, servata oboedientia
 et caritate, quas deo debeo et ecclesiae eius, matri meae, propter eum:
 potius et libentius eligerem sub abbate et sub regulari disciplina in monachica
 51 paupertate et humilitate esse et oboedire et servire, quam regnare in hoc
 mundo saeculariter, aut dominari, aut archiepiscopatum sive episcopatum
 possidere vel abbatiam, aut hominibus quibuslibet praeesse ad animarum
 54 gubernationem sive ad corporum sustentationem, in magna terrarum et rerum
 terrenarum possessione et opulencia. Quod ego ipse non imputo mihi tantum
 ad virtutem, quantum ad hoc quia talem me scio, tam parum utilem, pa-
 57 rum fortem, parum strenuum, parum prudentem, parum iustum, ut potius
 mihi congruat et expediat eligere subesse praelato quam aliis praesse, oboedire
 quam praecipere, servire quam dominari, ministrare quam ministrari.
 60 Cogor haec de me confiteri; sed malo haec in simplicitate mea, ut
 puto, sine omni duplicitate de me dicere, quam pati ut alii homines peccent
 in me, aut ut malum exemplum sumant per ignorantiam et errorem suum
 63 de me. Qui mihi haec de me confitenti credit, certus sit quia hoc credendo
 non fallitur, si mea me conscientia coram deo non fallit; et qui non credit,
 verum est quia ipse falso et temerarie de me iudicando se fallit. Omni-
 66 potens dominus faciat vos in hac vita et in futura indeficienti sua protectione
 et consolatione gaudere.

161.

Ad GOSFRIDUM episcopum Parisiensem.

Eum precatur, ne ulterius WALERANNUM, cantorem ecclesiae Parisiensis, monachum fieri prohibeat.

Domino et patri, reverendo episcopo Parisiensi GOSFRIDO: frater ANSELMUS, dei disponentis omnia dispositione electus archiepiscopus Can-

Ad Ep. 161: Scripta inter d. 25. Septembris, quo ANSELMUS electioni consensit, et d. 4. Decembris, quo consecratus est. 1 GOSFR.] A. 1061-1095.

47 mundi cont. deb. sed timor om. Vⁱ 48 et quia] Et quia LPEVⁱ 50 in monachia Vⁱ 52 sive episcopatum om. Vⁱ 55 ipse om. Vⁱ 63 confitendi Vⁱ 64 si mea me] me om. V **Ep. 161 (prius III, 12) coll. cum VLPEVⁱ FMD 1 parisiacensi D GOSFR.] ioisfrido V .G. FMD 2 ANS] .A. FMD dei disp. o. dispositione om. FMD**

tuariae, praesentis vitae deo placitam sanctitatem et futurae aeternam felicitatem.

Quamvis divina dispositio valde longe a reverentia vestra meam separet parvitatem, nulla tamen longinquitas debet minuere meam, quam vestra multis modis meruit benignitas, fidelitatem. Quapropter si quid de vestra celsitudine audio, unde mihi sit congaudendum, semper volo congaudere; et si quid cognosco quod vestram dignitatem mutare deceat, familiari fiducia eam caritative et humiliter debeo commonere.

Didici quod dominus WALERANNUS, carissimus amicus noster, cantor ecclesiae vestrae, deo inspirante habitum sanctae conversationis studiose et intentissime petens, in monasterium Sancti Martini de Campis eo gaudio quo debuit sit susceptus, et inde violenter a vobis et quemadmodum non necesse fuerat abstractus. De qua re, quamvis vestra prudentia meo consilio non egeat, cogunt tamen fidelitas et dilectio, quas vobis et illi debeo, mentem meam, ut vestrae reverentiae aliquid suggerat. Non loquor sapientiori me quasi docendo, sed velut ea quae melius me scit breviter commemorando.

Mi pater, si omnia facienda sunt cum consilio: cuius magis consilio quam eius, qui »admirabilis consiliarius, deus fortis« dicitur? Ipse quippe consulit ad perfectionem nitentibus, ut omnia relinquunt et se sequantur. Ipse omnia relinquentibus et sequentibus se promittit quia sedebunt cum illo in iudicio »iudicantes duodecim tribus Israel«. Ipse est qui invitat laborantes et oneratos amore et curis saecularibus, ut ad se veniant et requiescant.

Hoc consilium magis in monachico quam in alio vitae proposito impleri sancti patres intellexerunt. Beatus namque GREGORIUS in libro quarto decimo *Registri* scitis quid mandet DESIDERIO episcopo de quodam, qui divina inspiratione compunctus gratiam monachicae conversationis appe-

13 de Campis] (= St. Martin des Champs) Coenobium Cluniacensium Parisiis situm.
19 cum consilio] Cf. Prov. 13, 10, 16; Eccli. 32, 24. 20 fortis] Is. 9, 6. 21
sequantur] Cf. Matth. 19, 21. 22-23 Israel] Cf. ibidem, 28. 24-25 requie
scant] Cf. ibidem, 11, 28. 28 quarto decimo] In ed. *Monum. Germ. Hist., Epist.* II,
p. 158 s. est Ep. IX, 157; in ed. Maurina (*PL* 77, 1245 s.) Ep. XII, 35.

3 sanctit. deo placitam MD 5-10 Quamvis - commonere om. FMD 11 dominus VFMD
WAL.] uualeranus Vi .W. FMD 17 sapientiori] sapientiori L in(superscript.)
sapientiori E 18 breviter] [veluti expunct. M; om. D 20 qui] quid L deus
fortis om. DM 22 cum illa D 22-23 in iudicio cum illo LPEVi 24 curis]
cure Vi 25 quiescant MD 26 in monachio Vi

³⁰ tierat; quomodo scilicet hortetur eundem episcopum, ut propositum eius nullo modo impediatur, sed magis eum quantum valet pastoralis admonitione succendat, ne fervor conceptus in eo tepescat, nec ullatenus debere eum, ³³ qui monasterii portum petiit, rursus ecclesiasticarum curarum perturbationibus implicari. In Toletano concilio quarto legistis clericos monachorum propositum appetentes, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos esse debere ab episcopis ³⁶ ad monasteriorum ingressus.

Pauca dixi de multis. Si ergo dicere contra dominum et contra tot sanctos patres dicta domini veraciter intelligentes, est peccatum: facere contra ³⁹ manibus – non dicam quomodo, sed quomodo vos scitis – quid est? Si qui separat »pretiosum a vili«, id est animam a saeculo, tamquam os dei, sicut scriptum est, erit: ille, cuius os et manus retrahunt animam adhaerentem ⁴² post deum ad saeculum, quid erit? Absit, mi domine, nolit deus ut super episcopum cadat quod dominus dicit: »qui non colligit mecum, dispergit«; et »qui non est mecum, contra me est«. Horrendum enim est etiam auditu, ⁴⁵ ut quod Christus eligit de mundo, episcopus religet in mundo. Ut quod Christus trahit ad portum de procellis et tempestatibus mundi, hoc episcopus retrahat a portu in naufragosos turbines mundi. Ut quod Christus ⁴⁸ abscondit in ovili a multitudine insidiantium luporum, hoc episcopus rapiat de ovili et exponat multitudini luporum.

Mi reverende pater, ne sit molestum prudentiae vestrae quia sic loquor. ⁵¹ Non enim hoc dico, quia velim ostendere quod huiusmodi sitis, sed quia desidero ut huiusmodi non sitis. Consideret et retractet prudentia vestra quod fecit de praedicto suo canonico; et si quid fecit quod mutandum intelligat, ⁵⁴ non eam pudeat facere quod magis deceat. Non enim adeo mirandum, si subito motu de tam strenui clerici amissione aliquid non praemeditate fecistis; sed hoc valde est laudandum, si mutatis quod mutandum intelligitis.

34 quarto] A. 633 celebrato; Canon 50 (cf. MANSI, *Conc.*, t. 10, p. 631). 40-41 erit] Ier. 15, 19. 41-42 anim. adh. post deum] Cf. Ps. 62, 9. 43-44 dispergit] Luc. 11, 23. 44 contra me est] Ibidem. 45 de mundo] Cf. Ioh. 15, 19. 47-49 luporum] Cf. Ioh. 10, 11^{ss}.

32 suscendat] *Vⁱ*, in eo conceptus *MD* 34 clericis *Vⁱ* 38 intelligens *Vⁱ* peccatum est *LPEVⁱ* 39 sed quomodo *expunct.* *E* 40 qui] quis *MD* quid *corr.* ex quis *E* 43 dominus] deus *V* 44 contra] adversum *LPEVⁱ* enim *om.* *V* 45 elegit *VD* 48-49 a multitudine - de ovili *om.* *Vⁱ* 49 de ovili *om.* *V* 50 Mi reverende - loquor *om.* *Vⁱ* 54 facere] faceate *Vⁱ* 56 est valde *MD*

Saluto dominos et amicos nostros canonicos vestros, quos, etsi singulos 57
non cognovi, omnes tamen diligere et omnibus servire volui. Quos omnes
vobiscum supplex precor, ut consecrationem meam, quae in dominica qua
cantatur ‚Populus Sion‘ ordinata est deo annuente fieri, suis orationibus 60
non meis meritis, sed sua caritate praeveniant. Omnipotens dominus sic vos
usque in finem huius vitae dirigat et custodiat, ut post hanc vitam aeternam
beatitudinem vobis retribuat. Sigillum haec epistola non habet, quia et abbas 63
iam non sum et archiepiscopus nondum sum, nec me delectat pingi quod
non sum.

162.

Ad WALERANNUM, olim cantorem ecclesiae Parisiensis.

Eum confortat, ut in proposito ingrediendi monasterium etiam contra voluntatem episcopi persistat.

Domino et amico carissimo WALERANNO, olim cantori Parisiensis ecclesiae: frater ANSELMUS, electus archiepiscopus Cantuariæ, semper ad meliora proficere et numquam deficere. 3

Audivi, amice carissime, quia propositum sanctae conversationis eligens monasterium Sancti Martini sub carissimo amico meo, domno priore URSONE, ingressus fueras, et valde de tanto bono amici mei laetatus sum. 6 Sed postea didici quia dominus noster, episcopus tuus, te inde vi retraxerit, et tristis factus sum. Et quoniam honestatem tuam, de cuius dilectione certus sum, sine figmento dilexi et diligo, reprehendit me mea con- 9

60 Sion] Est dies Dominica II. Adventus, quae eo anno dies 4. Decembris fuit.

Ad Ep. 162: Scripta eodem fere tempore. 1 WAL.] D. 24. Februarii a. 1101 munere precentoris in ecclesia cathedrali Parisiensi adhuc fungitur (Cf. *Cartulaire général de Paris*, t. I, p. 152, n. 129; J. DEPOIN, *Archives de la France monastique - St. Martin des Champs, monastère Parisien*, t. I, p. 74). 6 URS.] Videtur esse amicus ANSELMII, qui in Ep. 37, 19 et Ep. 104, 16 commemoratur.

57-65 Saluto - non sum] Valet F; om. MD

coll. cum VLPEVⁱFMD

FM 6 fueris MD 7-8 retraxit MD

Ep. 162 (prius III, 13)

pariensis E 2 ANS.] .A.

scientia, si te visitare meis litteris et pro possibilitate mea in tanto periculo tibi consulere caritative non studeo. Timeo enim ne diaboli calliditas animam
12 tuam dilectam mihi decipiat, ne tibi, quoniam vi abstraheris et nolens a sancto proposito, posse in clericatu licite et sine culpa ut olim permanere persuadeat.

15 Certus esto, carissime, quia nullo modo hoc potest anima tua sine sui reprobatione suscipere, quamvis hoc episcopi sui auctoritate velit defendere. Christus enim dicit: »nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens
18 retro, aptus est regno coelorum«. Mens tua ab aratro Christi respicit retro, si a proposito, ad quod te vocavit Christus et quod incepisti, aliqua occasione tepescendo deficit. Sicut enim episcopi servant sibi auctoritatem,
21 quamdiu concordant Christo: ita ipsi sibi eam adimunt, cum discordant a Christo. Omnis episcopus qui habet vocem Christi, Christus est. »Et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius«. Lege in evangelio post haec
24 verba, quem non sequuntur oves et cuius vocem non noverunt. Si persecutio corporis fugienda est de civitate in civitatem: quanto magis persecutio animae? An non est animae fugienda persecutio, animam prohibere sequi
27 Christi consilium? Amice carissime, si multa non legisses et rationabilis ingenii non esses, multa tibi dicerem, ut quam bonum sit quod incepisti, et quam malum, si ab incepto deficis, ostenderem. Breviter dico: nihil salu-
30 brius potuisti incipere, nihil periculosius potes relinquere. Nihil igitur separet animam tuam a proposito monachico quod incepisti. Omnipotens dominus dirigat et corroboret et consoletur cor tuum. Amen.

33 Lege in Toletano concilio quarto de clericis petentibus monachicam vitam, et in quarto decimo libro *Registri* epistolam ad DESIDERIUM episcopum de clerico facto monacho.

17-18 caelorum] Luc. 9, 62 (Vulg.: caelorum] dei). 22-23 eius] Ioh. 10, 4.
23-24 noverunt] Ibidem, 5. 25 in civitatem] Cf. Matth. 10, 23. 33-35 mona-
cho] Cf. Ep. praecedentem, lin. 27-36., cum adnotationibus.

10-11 in tanto periculo *prima manus expunxit et verbis* tibi consulere *postposuit* M
tibi cons. in tanto periculo D 11 caritative om. MD 14 persuadet D 15 po-
test anima tua hoc MD 16-velit auctoritate MD 17-18 mittens - caelorum] *hunc*
locum abbreviant MD 18 retro respicit VFMD 19 Christus om. MD 21 ipsi
om. MD eam sibi MD 22 oves] voces P 23 secuntur Vⁱ quia sciunt]
pascunt Vⁱ 31 monachico] monachi MD dominus] deus D 31-32 Omni-
potens - Amen *sequitur propositionem* Lege - monacho V 32 Amen om. MD
33-35 Lege - monacho om, MD 33 concilio om, Vⁱ 33-34 vitam monachicam V

163.

Ad EUDONEM dapiferum regis.

Ei et comiti consilium petatum de persona in abbatem Beccensem eligenda dat, eiusque caritati ecclesiam Beccensem diligentcr commendat.

Domino et amico carissimo EUDONI: frater ANSELMUS salutem et fideles orationes.

Diu est quod litteris vestris de eligendo abbate in Beccensi eccle-³ sia respondi; sed, sicut audio, lator mearum litterarum in mari captus, ad vos venire prohibitus est. Quod tarde sciens iterum mando domino nostro comiti et vobis de re praedicta nostrum secundum eius iussionem consilium.⁶ De nullo fratrum eiusdem ecclesiae volo aut consulo tantum ut abbas fiat in illa, quantum de domno WILLELMO, qui prior fuit apud Pexeium, quamvis plures alii sint inter eos dei gratia hac praelatione non indigni.⁹

Vobis autem gratias ago quantas possum, ut verissimo amico, pro eleemosina vestra et propria cura quam habetis de ecclesia Becci, quam vobis commendo sicut animam meam, quia plus eam diligo quam praesentem¹² vitam meam. Nulli enim confidentius commendo rem tam caram cordi meo, quam vere dilecto dilectori meo. Precor, obsecro, ut non solum per vos eam vestro consilio et auxilio adiuvetis, sed et alios ad eius miserationem¹⁵ et sustentationem et dilectionem, quantum potestis, convertendo eam sustentetis. Et si contigerit ut aliquando aliter aliquo modo sese habeat – quod deus avertat! – quam oportet, confidenter eam ut verus amicus corripite¹⁸ et arguite, et donec corrigatur caritative insistite. Dilectionem meam et fidelitatem quas erga vos habui, ex quo vos cognovi, et quae tanto magis in corde meo creverunt, quanto magis vestram erga me dilectionem verior²¹ probavi, scitote deo annuente, quamdiu vivam, perseveraturas.

Onnipotens dominus vos sub sua continua protectione sic in hac vita custodiat, ut ad vitam aeternam perducatur. Amen.²⁴

Ad Ep. 163: Scripta ante d. 22. Octobris a. 1093, quo WILLELMUS abbas institutus est. [1 EUD.] Dapifer regis, filius HUBERTI de Rie (cf. Ep. 371, quam subscribit), + 1120 (cf. *Monastic. Anglic.*, t. IV, p. 602).

Ep. 163 (prius III, 14) coll. cum VC [1 EUD.] *prima littera corrupta V*

164.

Ad BALDRICUM priorem ceterosque monachos Beccenses.

Principem Normannorum litteris se excusasse et consilium de constituendo abbate petisse refert. – Consecrationem suam episcopalem pridie Nonas Decembris futuram esse nuntia.

Dilectissimis suis domno priori BALDRICO et aliis monachis Becci:
frater ANSELMUS semper velle et facere quae deo placent et quae sibi
3 expediunt.

Gratia dei faciente dominus noster, princeps Normannorum, misit mihi
litteras plenas magna benignitate et excusatione sui, si quid aut credidit
6 aut dixit de me aliter quam decuit, amore meo et dolore de amissione
mea cogente, ob meam ad archiepiscopatum electionem. In quibus litteris
de abbate vobis constituendo petiit benigne meum consilium, quod non so-
9 lum in hac re, sed et in aliis rebus se libenter accepturum promisit. Con-
silium autem meum de hac re illi mando, et vobis remando quod mandavi
per domnum GIRARDUM, fratrem nostrum.

12 Rex Anglorum vobis mandat salutem et auxilium suum, et custodiam
rerum vestrarum quae sunt in sua potestate, quamdiu meo consilio agetis et
vivetis. Si autem illud spreveritis, in illo proficuum non habebitis.

15 Cum ex vestra parte aliqua mihi mittitur epistola secrete et mihi soli
legenda, non nimis sit gracilis scriptura. Postquam enim illud quod de me
inceptum esse mecum doletis, contigit, multae diurnae et nocturnae lacrimae
18 visui meo nimis nocuerunt. Non enim celsitudo aut opulentia archiepis-
copatus eas tantum valuerunt sua consolatione reprimere, quantum timor et
taedium eius eas potuerunt sua perturbatione exprimere. Amici mei, com-
21 patimini mihi, quia ego compatiar vobis. Orate pro me, quia ego, si possum,
oro pro vobis.

Consecratio mea ordinata est fieri prima die Dominica post festiva-
24 tem sancti ANDREAE, pridie videlicet Nonas decembris. Praevenite eam
vestris orationibus, et mandate hoc monachis et sanctimonialibus per Nor-
manniam inclusis et claustralibus et amicis nostris in Francia. Valete.

Ad Ep. 164: Scripta brevi tempore ante consecrationem episcopalem, scil. ante d. 4.
Dec. 1093. 10-11 nostrum] Cf. ad Ep. 157.

Ep. 164 (prius III, 15) coll. cum VC

165.

Ad WILLELMUM abbatem et monachos Beccenses.

Laetatur quod sine mora et se superstite alius abbas Beccensis constitutus sit. – Fratres et abbatem novum de mutuis debitis et ut suum exemplum in acquirendis amicis sequantur, monet. – De benedictione abbatis se comiti et archiepiscopo mandasse significat.

ANSELMUS, servus servorum dei, vocatus archiepiscopus: dilectissimis in Christo filiis WILLELMO, electo abbati, et ceteris Beccensis ecclesiae monachis salutem.

3

»Gloria in excelsis deo« et in ecclesia Beccensi »pax« fratribus »bonae voluntatis«. Grates immensae clementiae dei, quae, sicut vobis pastoralis solatio destitutis visitationis suae gratiam voluit impertire, ita eandem longa rerum expectatione noluit protelare. Iterum ago grates clementiae illius quod, licet non omnino sicut vellem, aliquo tamen modo animi mei desiderio dignata est occurrere, dum me superstite alium in praefata ecclesia abbatem 9 secundum iuge desiderium meum constituerit.

Sed cum illud indesinenter eius intentionis speculatione desiderarem, ut et vobis ante mortem meam consultis finem vitae cum gaudio exspectare et 12 ab omni mundanarum specie rerum segregatus quietam inter vos vitam possem agere: noluit in hac parte superna providentia desiderium meum adimplere, sed ad magnum, ut valde pertimesco, animae meae detrimentum maioribus quam 15 ante rerum tumultibus voluit implicare. Proinde quantum in uno quod a deo exauditus sum gaudeo, tantum in alio quod exaudire me noluit doleo.

Paternam tamen nunc – sicut semper – sollicitudinem pro vobis gerens, moneo vos sicut 7 filios meos carissimos, et sicut eos quos in visceribus

Ad Ep. 165: Scripta brevi tempore post d. 4. Dec. a. 1093. I serv. s. dei, voc. arch.] Sic ANSELMUS post consecrationem inscribit. 4-5 voluntatis] Cf. Luc. 2, 14 (iuxta Missale Romanum). 10 constituerit] Institutus est WILLELMUS abbas Beccensis d. 22. Oct. a. 1093 (cf. PL 150, 718); eius benedictio usque ad d. 10. Aug. anni sequentis dilata est (cf. ibidem).

Ep. 165 (prius III, 16) coll. cum VC I (A) spatium pro littera initiali maiori, cum hic, ut in C notatur, epistolae post consecrationem exaratae incipiant V 2 Guillelmo C electo om. V

Christi tenerrimo semper affectu dilexi et diligere volo, ut secundum beati
 21 apostoli vocem »id ipsum invicem« sentiatis, propositum animi ad meliora
 cotidie dirigatis, et ei quem divina pietas vobis praeesse voluit, humilem in
 omnibus oboedientiam exhibeatis, memores illius praecepti, quo nos idem
 24 apostolus admonet dicens: »Oboedite praepositis vestris et subicite vos
 eis«.

Tibi autem, carissime frater WILLELME et in omni sanctae religionis
 27 observantia animo meo probate, quem dei gratia tam sancto monachorum
 gregi rectorem post me fieri constituit: hanc facio suggestionem, ut ita de
 animabus fratrum sub tuo regimine consistentium sollicitus existas, quatenus
 30 callidi hostis insidiae nulla eis arte, protegente deo, nocere valeant, sed
 sollicitudinis tuae custodia vallati, boni pastoris tutamina se invenisse gaudeant.
 Sicque te in omnibus quae agis moderatum exhibere festines, ut neque
 33 iustitiam gratia neque gratiam iustitia qualibet umquam privata subreptione
 excludat, sed ita altero semper alterum coniungas, ut in utroque monasterii
 ordo inviolata rectitudine servari valeat. Numquam ab animo tuo excidat
 36 quod dominus negligenti pastori per SALOMONEM dicit: »Fili mi, si spo-
 ponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus
 es verbis oris tui et captus propriis sermonibus tuis«. Plura me loqui de-
 39 lectaret, si aut epistolaris brevitatis ⁴²permitteret, aut tua sanctitas melius facere
 quam ego dicere nesciret.

Omnes tamen vos hac postrema supplicatione convenio, ut expertum
 42 semper dulcedinis vestrae amorem erga me tepescere non sinatis, quoniam
 ego, etsi corporali praesentia vobiscum esse nequeo, cordis tamen amore vo-
 biscum manere numquam desisto. Memores etiam estote qua ratione semper
 45 ecclesiae Beccensi amicos acquirere consuevi; et hoc exemplo amicos vobis
 undecumque acquirere festinate, hospitalitatis bonum sectando, benignitatem
 omnibus impendendo, et, ubi facultas operis defuerit, affabilis sermonis gra-
 48 tiam porrigendo. Nec umquam satis vos habere amicos credatis, sed sive
 divites sive pauperes, omnes vobis in amore fraternitatis conglutinate, qua-
 tenus hoc et ad vestrae ecclesiae utilitatem proficere et ad eorum quos di-
 51 ligitis salutem valeat pertingere.

21 sentiatis] Cf. Rom. 12, 16. 24-25 eis] Hebr. 13, 17 (Vulg.: subicite vos]
 subiaccete). 36-38 tuis] Prov. 6, 1 s. (Vulg. om. tuis).

De benedictione tua, frater WILLELME, comiti et archiepiscopo mandavi atque ut omnia decenter fierent rogavi. Litteris tuis, quas per domnum GISLEBERTUM et domnum IOFFRIDUM misisti, ideo non respondi, quia⁵⁴ et istae litterae antea scriptae fuerunt et portitor earum multum festinavit.

166.

Ad monachos iuvenes et adolescentes Beccenses.

Horum litteris respondens eos consolatur de sua absentia eisque mandat absolutionem et benedictionem, quas petierant.

ANSELMUS, vocatus archiepiscopus: dulcissimis et dilectissimis filiis suis iuvenibus et adolescentibus Beccensibus, qui ei suas in Angliam miserunt epistolas, dei et suam, quantum valet – si quid valet –, benedictionem.³

Legi in litteris vestris dilectissimum et dulcissimum affectum vestrum erga dilectum dilectorem vestrum; quas saepe legi, et saepe interiora cordis mei vestrae dilectionis consideratione pie commoverunt et faciem meam⁶ lacrimis fluentibus perfuderunt. Ad quod, cum unius vestrum sola sufficeret dilectio, tanto plenius tamen et vehementius hoc fecerunt, quanto in vestris dictis similem animum et affectum aliorum cogitabam, qui litteras non mi-⁹serunt. Sic enim dilectio vestra conglomerata est animae meae, ut eam intente cogitare nequeat sine quadam magna sui vulneratione de dilectorum filiorum suorum violenta ablatione et separatione. Quod autem significastis vos mecum¹² desiderare semper esse, certe et ego desidero. Sed quoniam aliter disponit deus quam desideremus, nec video opportunum esse animabus vestris, quas sicut meam teste vestra conscientia diligo, ut mecum possitis conversari:¹⁵ precor, moneo, consulo, quatenus mecum supernam dispositionem patienter toleretis et vestram tristitiam tolerando mitigantes, meam quoque mitigetis. Vestra namque tristitia mea est, et vestra consolatio mea est.¹⁸

Quod non solum vobis dico, filii dulcissimi, sed et omnibus qui eandem molestiam vobiscum ferunt pro absentia dilectoris sui dilectissimi. Scio quia,

Ad Ep. 166: Scripta post consecrationem; forsitan simul cum Ep. praecedente missa.

Ep. 166 (prius III, 17) coll. cum VC 5 dilectum bis V 15 possistis V

21 si speraretis vos adhuc in hac vita aliquantulo tempore mecum conversaturos,
 magnae consolationis vobis esset. Quanto ergo maiorem consolationem habere
 debemus, si in futura vita nos in aeternum simul victuros et congratulatos
 24 speramus! Consolamini igitur, filii mei, consolamini, et vos subicite voluntati
 dei, qui melius scit quid vobis expediat quam vos ipsi. Quatenus aliquid
 maius vobis retribuatur deus pro hac patientia, quam vobis provenire posset
 27 ex mea praesentia. Certi estote quia nulla locorum distantia, nulla temporum
 diuturnitas dulcedinem amoris vestri, sicut spero in deo, a corde meo po-
 terit separare.

30 Et illis qui meam in litteris suis se significaverunt velle absolutionem,
 et illis qui, quamvis eam per litteras non petierunt, tamen eam volunt:
 mando meam coram deo absolutionem et benedictionem, et oro ut deus
 33 omnipotens illos ab omnibus peccatis absolvat et in vitam aeternam bene-
 dicat. Amen.

167.

Ad IDAM comitissam Bononiae.

*Domnum RAINERIUM melius viva voce narrare posse, quae de se hoc
 anno facta sint, scribit. - Filiam spiritualem admonet, ne umquam secunda sit de
 sua electione, sed ut studium bene vivendi cotidie incipiat.*

ANSELMUS, servus servorum dei, vocatus archiepiscopus: reverendae
 et diligendae vitae merito comitissae IDAE sic in hac vita deo servire, ut
 3 in futura mereatur cum deo regnare.

Scio et certus sum, domina mihi in deo carissima, soror dilectissima,
 filia dulcissima, quia sancta tua dilectio, qua me semper in corde tuo prae-
 6 sentem quasi patrem spiritualem reverenter et delectabiliter amplecteris, in-
 cessanter desiderat ea quae de me et erga me sunt cognoscere et ex mea
 parte aliquid audire aut legere, quatenus mihi secundum verae caritatis re-

24 consolamini] Cf. [Is. 40, 1. **Ad Ep. 167:** Videtur scripta mense Decembri
 a. 1093. 2 IDAE] De ea cf. Ep. 82, et saepius.

21 aliquantulo] aliquando V 24 speramus] ? add. V 31 per litteris C **Ep.**
167 (prius III, 18) coll. cum VC 2 sic] sicut C

gulam congaudeat aut compatiatur. Cui tuae dilectioni cor meum utique 9 simili respondet affectu. Quoniam ergo et per epistolam congruum non est narrare nunc, quae de me facta sunt hoc anno sive qualiter cor meum illa sustineat, et dominus RAINERIUS, dilectus amicus noster, clericus vester, 12 multa per se vidit et plura me narrare didicit: illum precatus sum, ut ea quae de me interius et exterius cognovit, sicut qui ad hoc ipsum se a vestra reverentia missum fatetur, viva voce vivis vocibus notificet. Et quo- 15 niam iam olim certissime expertus sum, filia in deo mihi dilectissima, monita mea cor tuum delectabiliter suscipere atque animam tuam te curae meae penitus commisisse memini, aliquid necesse est quod ad exhortationem tuam 18 pertineat subiungere.

Amica carissima in deo, dominus dicit: »Multi sunt vocati, pauci vero electi«. Numquam ergo segura sis te inter electos debere computari, donec 21 ita vivas ut pauci sint, quibus vita tua debeat comparari. Et cum te in numero paucorum esse cognoveris, adhuc time, quia adhuc dubium erit si inter paucos electos fueris, donec te de illis paucis videas, de quorum elec- 24 tione nulla manet dubietas. Qui enim dixit: »pauci« sunt »electi«, non utique dixit quam pauci, ut quantumcumque nobis videamur profecisse, semper iudicemus nos nondum nisi ad initium proficiendi pervenisse. Hortor igitur 27 et consulo filiae meae, quae se meo commisit consilio, ut bene vivendi studium, quod olim incepit, nullatenus languescat, sed, quasi cotidie incipiat, per singulos dies fervescat. 30

Omnipotens deus ab omnibus peccatis te clementer absolvat et benedicat in aeternum, et quantum mihi divina gratia concedit, meam semper habeas absolutionem et benedictionem. Amen. 33

20-21 electi] Matth. 20, 16; 22, 14. 20-30 Amica - fervescat] Similem exhortationem habent Ep. 2, 40-52; Ep. 51, 26-39; Ep. 184.

31 deus] dominus C

168.

Ad monialem GUNNILDAM filiam regis HAROLDI.

Eam adhortatur, ut ad habitum abiectum redeat.

ANSELMUS, dei ordinatione archiepiscopus Cantuariæ: sorori et filiae dilectae, regis HAROLDI secundum carnem filiae GUNNILDAE, mun-
3 dum non Christum contemnere, et Christum plus quam mundum diligere.

Libentissime, si possem, tecum loquerer, soror vere mihi in deo di-
lecta, quia caritas qua omnem hominem volo salvum fieri, et officium mihi
6 iniunctum exigunt a me, ut te fraterno et paterno affectu diligam et per
eandem dilectionem sollicitudinem de salute animae tuae geram. Sed quoniam
non nobis evenit opportunitas colloquendi, incumbit mihi necessitas scribendi,
9 quem animum de te habeam et quid de te desiderem.

Obsecro igitur te ut non contempnas dilectionem, qua te propter deum
ad honorem dei et ad salutem tuam diligo, neque reicias consilium meum.
12 Si enim mihi acquiescere volueris, certa esto quia valde tibi in fine placebit,
et erit super te gaudium magnum angelis dei. Si vero nolueris, scito quia
nimis tibi displicebit, et inexcusabilis eris in districto iudicio dei. Audivi,
15 soror mea, quia diu portasti habitum sanctae conversationis. Quem quomodo
abieceris quidve passa sis vel quid feceris non latet, sed nimis apertum est.

Ad Ep. 168: Scripta post consecrationem, ut ex titulo patet. 2 HAR.] Rex
Angliae a. 1066; eodem anno, d. 14. Octobris, in proelio apud Hastings oc-
ciscus. GUNN.] Monialis in abbacia Wiltoniensi in diocesi Serisberiensi. Plura de
ea vide apud A. WILMART, *La destinataire de la lettre de s. Anselme sur l'état et
les vœux de religion*; *Rev. Bénédict.*, 1926, p. 331-334; et ad Ep. sequentem. 5
salvum fieri] Cf. Tim. 2, 4. 13 angelis dei] Cf. Luc. 15, 10.

Ep. 168 (prius III, 157) coll. cum cod. Trevirensi bibl. civit. 728 (olim S. Mat-
thiae), s. XII. exeuntis (= G); cum cod. Bruxellensi 8386-96 (in catalogo
n. 1111), s. XII. exeuntis (= B) in indice epistolis in G praemisso et in editione
principe, Norimbergae a. 1491, quae codicem G excepit, epistola inscribitur: Idem
hortatur quandam dominam ad habitum et propositum abiectum redire (hinc editiones
posteriores omnes in sermone textus, lin. 1-2, habent: ad quandam dominam) 1-2 so-
rori - GUNN.] ill. (= illi; loco nominis) G 4 soror] sola G sola et vere (cum
punctis inversionis) G in deo] in domino B 8 incombis B 12 in fine tibi B
16 abieceris] reliqueris G (cf. lin. 46: abiectum) nimis] multis G

Considera igitur iam nunc, carissima, quantum distent viriles amplexus et carnalis delectatio ab amplexibus Christi et a delectatione [castitatis et 18 cordis munditia. Amplexus quidem Christi dico non corporales, sed quales per amorem et desiderium eius intra bonam conscientiam facit anima familiaris eius. Considera, inquam, quae sit differentia inter has duas delecta- 21 tiones. Non loquor nunc de legitimo coniugio. Considera, inquam, quanta sit in spirituali delectatione munditia, quanta sit in carnali immunditia; quid spiritualis promittat et quid carnalis minetur; quanta sit in spirituali spes et 24 quam delectabilis exspectatio Christi, quanta etiam in hac vita securitas et consolatio, quantus sit in carnali timor iudicii dei, quanta etiam in praesenti vita confusio. Cogita quale sit Christum sponsum, caelestis regni dotem pro- 27 mittentem, contemnere, et hominem mortalem, non nisi corruptionem et contemptibilia dantem et pollicentem, filio dei, regi regum, praeponere.

Certe ille »rex regum« »concupivit speciem tuam« ut sponsae legi- 30 timae; qualiter autem ille quem scis, carnis tuae pulchritudinem appetiverit, soror mea, quomodo dicam? Femina nobilis, quomodo dicam? Sponsa dei virgo fueras electa et deo habitu et conversatione assignata. Quid dicam 33 modo te esse? Filia mea, deus scit, non ita loquor, ut gaudeam de confusione tua, sed ut gaudeat deus et congaudeant angeli de conversione et salubri paenitentia tua. Quid ergo dicam? Si non dico, forsitan non ani- 36 madvertis; si dico, forsitan irasceris. De electa et signata sponsa dei quid facta es? Erubescat esse nobilitas tua quod erubescis audire; et ego propter nobilitatem tuam et dilectionem erubesco dicere. Ecce, filia carissima, si haec 39 proponis in conspectu tuo: quantus dolor debet esse in corde tuo de tanto et tam gravi casu tuo! Si enim vehementer doles, condolendo tibi valde gaudeo; si vero non doles, non est unde gaudeam, sed multo magis doleo. Nam si 42 doles, adhuc salutem tuam spero; si autem non doles, quid nisi damnationem tuam exspectare queo?

Impossibile namque est te ullo modo posse salvari, nisi ad habitum 45 et propositum abiectum redieris. Quamvis enim ab episcopo sacrata non

29 regi regum] Cf. 1 Tim. 6, 15. 30 rex regum] Ibidem. speciem tuam] Ps. 44, 12 (Vulg.: concupiscet rex decorem tuum).

18 et a] et om. B 20 per amorem eius et desiderium B 24 quanta] Quanta B
25 in hac] in praesenti B 26 dei iudicii G 34 esse om. B 41 et tam] et iam G
tuo] ? add. G 42 non doles] non condoles B

fueris nec coram ipso professionem legeris, hoc solum tamen est manifesta
⁴⁸ et quae negari non potest professio, quia publice et secrete habitum sancti
 propositi portasti, per quod omnibus te videntibus deo dicatam te esse non
 minus quam professionem legendo affirmasti. Nam antequam fieret ista nunc
⁵¹ usitata monachici propositi professio et sacratio, multa millia utriusque sexus
 hominum solo habitu se ipsius esse propositi profitentia eius celsitudinem et
 coronam consecuta sunt. Et qui tunc habitum sine ipsa professione et sacra-
⁵⁴ tione assumptum reiciebant, apostatae iudicabantur. Inexcusabilis ergo es, si
 deseris sanctum propositum, quod diu habitu et conversatione professa es,
 quamvis professionem nunc usitatam non legeris et ab episcopo consecrata
⁵⁷ non fueris. Certe, filia carissima, adhuc te exspectat dominus et creator et
 redemptor tuus; rex ille qui »concupivit speciem tuam«, ut esset legitimus
 sponsus tuus, adhuc te exspectat et revocat, ut sis legitima sponsa eius, et
⁶⁰ si non virgo, saltem casta. Scimus enim plures sanctas mulieres, quae post
 amissam virginitatem plus placuerunt deo et magis illi familiares fuerunt per
 paenitentiam in castitate, quam plures aliae, quamvis sanctae, in virginitate.
⁶³ Redi ergo, mulier Christiana, redi ad cor tuum, et considera quem
 potius debeas eligere, cui potius adhaerere: illi qui te ad tantam hone-
 statem elegit, eligendo vocavit, vocando habitu sponsali sibi assignavit, et
⁶⁶ adhuc, quamvis contemptus et reiectus, exspectat et revocat; an illi per
 quem – ut mitius dicam – in hoc, in quo te vides deiectam, de tanta cel-
 situdine cecidisti, praesertim cum ipse te iam, sicut puto, contemnat, aut
⁶⁹ sine dubio contempturus et deserturus sit. Et utinam sic vos invicem con-
 temnatis, ut vos deus non contemnat; sic vos invicem deseratis, ut vos deus
 non deserat; sic vos invicem reiciatis, ut deus vos a facie sua non proiciat;
⁷² sic ab invicem avertamini, ut ad deum convertamini. Certe valde melius et
 honorabilius est et illi et tibi, ut ab illo sis contempta quam retenta, quia
 quamdiu eris eius retenta, procul dubio – ut de illo nunc taceam – tu eris
⁷⁵ dei contempta. Et si, contempta ab illo, propter deum illum contempseris,
 utique non contempta, sed suscepta et dilecta dei eris, velut eius sanguine
 proprio redempta.

58 tuam] Ibidem. 63 redi ad cor tuum] Cf. Is. 46, 8.

52 esse *om. B* 54-57 Inexcusabilis - non fueris *om. B* 60 saltim *G* 64 eli-
 gere] diligere *G* 64-69 illi qui te - deserturus sit *om. B* 71 sic vos invicem
 reiciatis - proiciat *om. B* 72 avertamini] convertamini *G* 72-77 Certe - redempta
om. B 76 velud *G*

Intende, filia, cuius salutem desidero, intende benignitatem eius, qui 78 contemptus a te contemnentem revocat, ut te in regalem suum thalamum, non terrenum sed caelestem introducat. Intende et concute cor tuum, dole vehementer casum tuum. Reice et conculca saecularem habitum quem as- 81 sumpsisti, et resume habitum sponsae Christi quem proiecisti. Nullatenus enim te cognoscet Christus aut suscipiet, nisi in illo habitu, quo te sibi assignavit et quo te eius esse sponsam publice et secrete es testata. In hoc 84 habitu redi ad benignitatem eius;ingere te importune in conspectu eius. Accusa tu ipsa conscientiam tuam, lava lacrimis culpam tuam. Ora eum infatigabiliter, adhaere illi inseparabiliter. Misericors est, non te reiciet, sed 87 potius gaudens de reditu tuo te benigne suscipiet. Si hoc feceris, »gaudium erit« de te »in caelo« et in terra omnibus sanctis angelis et hominibus cognoscentibus. Si vero hoc facere contempseris, omnes tibi adversi erunt, 90 et ego et ecclesia dei faciemus quod de tali re faciendum intelligimus.

Omnipotens deus visitet cor tuum et infundat in te amorem suum, filia carissima. Rogo, manda mihi per epistolam quomodo suscipias hanc paternam 93 monitionem meam.

169.

Ad eandem.

Altera exhortatio resumendi habitum conversationis.

ANSELMUS, servus servorum Christi IESU, vocatus archiepiscopus: sorori et filiae secundum spiritum dilectissimae, regis secundum carnem filiae:

88-89 in caelo] Cf. Luc. 15, 7. **Ad Ep. 169:** Scripta aliquanto tempore post Ep. praecedentem. Ad rem cf. A. WILMART: *Une lettre inédite de s. Anselme à une moniale inconstante*; *Rev. Bénédict.*, 1928, p. 319-332, qui tamen non omnes quaestiones et difficultates solvit. Ita epistola certe non a. 1093 brevi post electionem, sed post consecrationem scripta est, ut ex titulo (vocatus archiepiscopus) colligitur. Iam in Ep. praecedente deest verbum 'electus' (cf. Ep. 161 et 162). 1 archiepiscopus] Titulum fere eundem habes in Ep. 180; cf. etiam Ep. sequentem. 2 regis sec. carnem filiae] Cf. Ep. praecedentem, lin. 2.

83 enim] ergo B 84 assignavit] signavit G (cf. *supra*, lin. 33, et Ep. sequentem, lin. 43 84-87 In hoc - inseparabiliter om. B 88-91 Si hoc - intelligimus om. B 93-94 Rogo - meam om. G **Ep. 169** (A. WILMART, *Rev. Bénédict.*, 1928, p. 320 ss.) coll. cum cod. Oxoniensi Bodleian. Laud. Misc. 344, circa a. 1200 (= K) et cum editione Wilmartiana (= w) 1 sorori] Sorori Kw

3 corruptioni incorruptionem, mortali sponso immortalem, temporali comiti aeternum regem praeponere.

Adhuc te saluto et filiam dilectissimam voco, quoniam nondum de-
6 spero quod de te desidero, ut scilicet adhuc per visitationem divini respec-
tus respicias et redeas ad dominum et redemptorem tuum Christum, qui
te tantum, nullis tuis praecedentibus meritis, dilexit, ut te ab infantia spon-
9 sam sibi eligeret <et> hactenus ad hoc ipsum in religionis habitu et con-
versatione nutriret. Suscipe ergo, filia dilectissima mihi et desideratissima, ad
honorem dei et magnum tuum bonum suscipe verba et admonitionem veri
12 dilectoris tui, cum quo olim, cum tecum prius locutus esset, te semper esse
velle dixisti, ut eius colloquio assidue frui posses – quod esse tibi dulce
fatebaris –, et cui postea dulcissimas litteras misisti, in quibus <te> non
15 abnegaturam sanctum propositum, cuius tunc habitum gerebas, potui cogno-
scere, sed speravi te facturam, sicut promittebas secundum deum.

Averte, soror et filia, averte cor tuum, ne tantum intendat vanitati,
18 ut non cogitet veritatem. Considera: quid est gloria mundi, quid est quod
amas? Filia regis et reginae fuisti. Ubi sunt? Vermes et pulvis sunt. Alti-
tudo illorum, voluptates illorum, divitiae illorum nec illos servaverunt nec
21 cum illis abierunt. Amasti amantem te comitem ALANUM Rufum. Ubi
nunc est? Quo devenit ille amatus amator tuus? Vade nunc, soror, colloca
te cum eo in lecto <in> quo nunc iacet; collige vermes eius in sinu tuo;
24 amplectere cadaver eius; osculare stricte nudos dentes eius, nam labia iam

3 immortalem] Cf. 1 Cor. 15, 42,53 s. 3-4 praeponere] Cf. Ep. praecedentem, lin. 27-29. 8 nullis tuis praecedentibus meritis] Cf. AUGUSTINUS, *Ennar.* in *Ps. CVIII*, n. 23 (*PL* 37, 1442, lin. 7 ab infra); et passim. 11 ad honor. dei et m. tuum bonum] Cf. Ep. praeced., lin. 11. 17 vanitati] Cf. *Ps.* 118, 37. 19 Filia regis et reginae] HAROLDI scil. (cf. Ep. praeced.) et EADGYTHAE, quae tamen non regina, sed cubicularia fuit. 21 ALAN. Ruf.] Comes Richmondensis, + 1089 (cf. WILMART, l. c., p. 325 s.).

5 voco] quod *add. K* 8-9 sponsa *K* 9 eligeret et] eligeret *corr. ex elegit et K*; et *supplevi cum w*; eligere et (*error typograficus?*) *w* 12 esset] *sic conieci*; sum et *Kw* 13 quod] quae *K* (*sic fere ubique scribit quae pro quod*) 14 te *supplevi* 15 abnegatura *K* 16 secundum deum] *sic conieci*; secundum nostrum *K*; *w post secundum nostrum supplevit iudicum (vel simile verbum), quod mihi congruere non videtur; haec verba probabilius corrupta sunt* 18 cogites *Kw* 19 amas?] ? *om. K* 21 abierunt] *K sine distinctione prosequitur: amasti etc.* 22 tuus?] ? *om. K* 23 in quo] *in supplevi* 24 nam] *Nam K*

putredine consumpta sunt. Certe non curat nunc amorem tuum quo vivens delectabatur, et tu horres putridam carnem eius qua uti desiderabas. Hoc utique est quod in illo amasti; et hoc est et non aliud quod amas in fratre ²⁷ eius.

Et quid, si idcirco subtraxit deus comitem ALANUM de hac vita, ne ille te deo subtraheret, sicut disponebat? Quamvis aliae causae sint cur ³⁰ mortuus sit: quis tamen audebit negare hanc quoque causam cum aliis fuisse? Quis negabit deum illi in hoc fecisse misericordiam et iudicium; misericordiam, quia morte prohibuit eum facere malum quod male volebat; ³³ iudicium, quia eadem morte punivit sacrilegam voluntatem quam gerebat?

Cur non times quod simili morte deus occidat propter te comitem ALANUM Nigrum; aut – quod peius est – aeterna morte, si illi copulata ³⁶ fueris, damnet eum tecum? Et utinam sic sit ille tibi niger et tu illi nigra ad amorem, ut nec ille tibi niger nec tu illi nigra sis ad damnationem. An enim putas, si tu mortua fueris in lecto eius aut ille in tuo, te vel illum ³⁹ visurum dominum Christum, nisi ad iudicium damnationis? Vos facietis Christo tam grandem iniuriam et contumeliam, ut tu proiciens vestem et signa, quibus per multos annos testata es, omnibus te videntibus intus et ⁴² foris, te illi esse assignatam, curras in amplexibus comitis ALANI, quales dicere pudet; et ipse sibi te attrahens Christo subtrahat aut te sponte ingentem suscipiat; – et Christus animam tuam vel illius de mutuis ample- ⁴⁵ xibus abstractam suscipiet cum processione angelorum in amplexus suos? Vere non faciet; valde fallimini, si hoc exspectatis; valde caeci estis, si hoc non videtis; valde miseri estis, si hoc contemnitis. ⁴⁸

Quod si dicis te suscepisse habitum religionis, quia promissa est abbatia – sicut audio quosdam dicere –, et idcirco, cum abbatiam non habeas, te non ex debito servare assumptum habitum: considera, filia mea, ⁵¹

36 ALAN. Nigrum] Frater ALANI Rufi (cf. ibidem, p. 326 ss.), qui ei successit in comitatu Richmond (obisse dicitur iam a. 1093, tempore consecrationis s. ANSELMII, quod tamen cum data huius epistolae non quadrat). 32 miser. et iudicium] Cf. Ps 100, 1. 43 assignatam] Cf. Ep. praeced., lin. 83-84.

26 delectabatur] desectabatur K qua] quam K 32 iudicium] ? add. w 33 quod] quam K 34 gerebat?] ? om. w 41 grande K proiciens] sic K; w corr. in proicias 43 assignatam, curras] sic correxi (cf. genus dicendi: currere in sinu cuius); assignatam, curas K; assignatam. Curas w 44 et] ut corr. w attrahes K 47 valde] Valde w 49-50 abatia] sic habet fere ubique K

quantum dedecus facias Christo. Sponsam eius te velle esse et fidem servaturam promisisti pro abbazia promissa – et negas te hoc servaturam, quia
 54 Christus promittit tibi se ipsum? An abbazia est tibi pretiosior Christo? Itane ipse tibi vilis, et quae promittit tibi vilia sunt? Non ipse te tam vilem habuit, cum animam suam pro te posuit. Siccine dilexisti vanitatem et con-
 57 temnis veritatem?

An sic voluisti Christum fallere ut, cum homines non tibi darent promissam abbatiā, tu non redderes illi votum tuum? Vis tu mentiri deo,
 60 quia homines tibi mentiuntur? Non ipse promisit tibi abbatiā, sed nescio qui viri aut mulieres. Tu vero, cum illi promiserunt tibi abbatiā: cui promisisti votum tuum, deo an hominibus? Utique hoc effecerunt homines
 63 tibi promittendo abbatiā, ut tu deo promitteres sanctae conversationis propositum. Deo ergo promisisti, non hominibus.

Itaque dicit tibi deus: „Redde mihi, tu ancilla mea, creata et redempta
 66 mea, redde quod promisisti mihi et iam incepisti, et exige, si debes, non a me, sed ab hominibus quod tibi polliciti sunt. Si illi tibi mentiuntur: ego quid peccavi, ut tu mihi mentiaris? Immo paratus sum introducere te ut
 69 electam et dilectam sponsam meam in thalamum gloriae meae et constituere te super omnia bona mea. An voluisti me fallere, cum hoc mihi promisisti? Si voluisti, certa esto quia nullatenus satisfacies mihi de hac
 72 falsitate, nisi feceris per veritatem quod promisisti per falsitatem. Si noluisti, fac ergo quod non fallendo, sed vera voluntate promisisti’.

Intellige, dilecta mihi, providentiam dei de te et dilectionem dei erga
 75 te. Quando pro abbazia sanctimoniam vitam promisisti, desiderasti quod vanitas est desiderare et spondidisti quod facere veritas est. At deus, cuius sapientia de malo operatur bonum et de peccato virtutem, ipse te permisit
 78 cadere in hanc vanitatem, ut te illaquearet ad veritatem. Non ut te perseverantem in stulto desiderio hoc laqueo traheret vanitas ad abbatiā, sed ut considerares quia intolerabiliter et execrabiliter deus contemptus est, si

56 posuit] Cf. Ioh. 10,15; 15,13. 68-69 in thalamum gloriae meae] Cf. Ep. praeced., lin. 79-80. 69-70 bona mea] Cf. Matth. 24, 47.

54 se ipsum?] ? tollit w 61 viri] vires K 63 ut] aut K 68 mentiaris?] ? om. K 70 omnia om. w 71 promisisti?] ? om. K hac] hic K 74 providentia K 78 Non] non w (contra K) 80 intolerabilis K execrabilis K

bonum quod quoquo modo pro vili praemio promisisti, contemnis servare... 81
promisso deo, quatenus toto corde retro abire horreas.

Soror mea, illaqueata es. Hoc laqueo Christus trahit animam tuam ex una parte, diabolus econtra ex altera. Per hunc laqueum aut Christus te 84 trahet ad altiora paradisi, si sanctimoniam vitam tenueris; aut – quod deus avertat! – diabolus in inferiora inferni, si eam deserueris.

Amica mea in deo et in vera amicitia, quod ex me est: numquam 87 deus sic tibi sit iratus, ut permittat te viro mortali copulari. Quod utique si contingerit, non solum te et illum virum aeterna morte damnabis, sed magnum et detestabile scandalum in ecclesia dei generabis, et omnibus hoc 90 audientibus exemplum odibile deo et omnibus sanctis eius et bonis hominibus dabis. Et si tantum malum per te ortum fuerit: certa esto quia melius tibi erat, si nata non fuisses. 93

Et scito quia ego consulo, precor, obsecro, praecipio ea auctoritate qua possum et debeo, ut resumas habitum sanctae conversationis quem proiecisti, et redeas ad gratiam dei quam contempsisti, quatenus Christus 96 dicat de te amicis et vicinis suis, caeli civibus: 'Congaudete mecum et congratulamini, quia rediit ad me electa et dilecta mea quae me deseruerat', et sit in caelis gloria deo et ^{et} gaudium omnibus sanctis super te, et in terra 99 gratiarum actio ab »hominibus bonae voluntatis«. Responde vero amico tuo et patri spirituali per litteras tuas, neque contemnas admonitionem meam, quia non expedit tibi coram deo. 102

Omnipotens deus emundet cor tuum ab omni concupiscentia carnali et impleat illud dulcedine suae dilectionis, ut videam de te quod desiderat cor meum, ut scilicet per praesentis vitae sanctitatem merearis aeternae vitae felicitatem. Amen. 105

82 retro abire] Cf. Ioh. 6, 67. 91 deo et omnibus s. eius] Cf. Formulam professionis Benedictinae. 92-93 fuisses] Cf. Matth. 26, 24. 97-98 Congaud. mec. et congrat.] Cf. Officium s. AGNETIS. 97-99 super te] Cf. Luc. 15, 6 ss. 99 deo] Cf. Luc. 2, 14. 99-100 voluntatis] Ibidem.

81 quoquo modo] quomodo K 82 promisso] sic ms.; promissum corr. w, quod non quadrat; post servare quaedam 'deesse' videntur 83 Hoc] hoc (sine distinctione) K 86 eam] eum K 87 Amica] amica (sine distinctione) K quod] quae male corr. w 89 contingerit w 92 dabis. Et si] sic K; dabis; et si w tantum] t(ame)n K; tandem coniecit w 94 quia] quid w 102 tibi w disiungit a coram deo; non delendum esse credit 106 Amen] amen Kw

170.

Ad WLSTANUM episcopum Wigorniensem.

Petit consilium et auxilium contra episcopum Lundoniensem, qui contra consuetudinem antiquam archiepiscopum Cantuariensem officio episcopali fungi circa villam vel ecclesiam in sua diocesi sitam, sed ad terram archiepiscopi pertinentem, prohibere vult.

ANSELMUS, servus servorum Christi, vocatus archiepiscopus: dilecto et reverendo episcopo Wigornensi WLSTANO sic in arrepto sanctitatis proposito perseverare, ut mereatur in aeterna beatitudine sine fine regnare.

Sanctitas et sapientia vestra, quae in diuturna aetate per dei gratiam in vobis multum creverunt, et certitudo dilectionis vestrae, quam erga me indubitanter cognovi, hortantur me, ut in negotiis nostris, cum res exigit, ad vestrae reverentiae recurram consilium. Quapropter de quadam calumnia, quam quidam coepiscopus noster, Lundoniensis scilicet, contra antiquam consuetudinem, quam ecclesia nostra libere et quiete possedit in praeteritis et antiquis temporibus usque ad praesens tempus, ingerit mihi, vestrum quaero consilium.

Quippe testante omni genere hominum qui sunt in Cantuariensi diocesi et in aliis episcopatibus, qui sunt circa eandem diocesim, semper archiepiscopus Cantuariae hanc habuit potestatem et consuetudinem, ut intra cuiuscumque episcopi diocesim haberet ecclesia Cantuariae villam aut ecclesiam, eiusdem archiepiscopi proprii iuris esset quidquid de eadem villa vel ecclesia pertineret ad episcopale officium, sive dedicatio sive aliquid aliud. Adhuc vivunt innumerabiles homines qui viderunt antecessorem meum, venerabilis

Ad Ep. 170: Scripta a. 1094; mense Ianuario vel initio Februarii (cf. *Hist. Nov.* 45 ss.; 374 ss.). 2 WLST.] Sanctus W., episcopus Wigorniensis (=Worcester) a. 1062-1096. 4 in diuturna aetate] W. iam ante adventum Normannorum in Angliam episcopus fuit. 11 consilium] Agitur de ecclesia villae, quae Herga^a vocabatur, quam LANFRANCUS extruxerat, sed nondum consecraverat (cf. *Hist. Nov.* 45 ss.; 374 ss.).

Ep. 170 (prius III, 19 et IV, 3) coll. cum *VCLPE* 2 Wigornensi *LPE*
3 regnare sine fine *LPE* 6 exigit *LPE* 18 vivunt *V*

memoriae LANFRANCUM archiepiscopum, dedicare ecclesias villarum suarum intra dioceses aliorum episcoporum, ipsis scientibus sine calumnia. Quod etiam sanctus DUNSTANUS et alii praedecessores mei fecisse probantur, 21 ipsis ecclesiis quas dedicaverunt adhuc stantibus. Hanc dignitatem et potestatem tam diu inconcusse ab ecclesia Cantuariensi possessam conatur hoc nostro tempore praedictus episcopus, suffraganeus scilicet archiepiscopo et 24 primati suo, filius matri suae, auferre et annihilare. Quam ob rem in hac re vestrum peto consilium et auxilium, quatenus ut fidelis filius matri vestrae contra filium, non dicam infidelem, sed volentem eam exhaerere, subve- 27 niatis, et si quid scitis quod ad defensionem nostram valeat, litteris vestris nobis studiose intimetis. Valete.

171.

A WLSTANO episcopo Wigorniensis.

Praemissa exhortatione ad constantiam contra potentiam saecularem, respondet ad interrogata se numquam audisse quemquam Cantuariensi archiepiscopo ius ecclesias proprias in aliis diocesibus dedicandi adimere voluisse.

Reverentissimo ac beatissimo vitae sanctitate et summae sedis dignitate praelato, ANSELMO archiepiscopo: WLSTANUS, servorum dei minimus, Wigornensis ecclesiae episcopus merito indignus, orationum obsequia fidelique ex caritate servitia.

Novit prudentia vestra cotidianos labores et oppressiones sanctae ecclesiae, malignis eam opprimentibus, et ipsis quos oportuerat eam tueri auctoribus existentibus. Ad hos repellendos et contra tales sanctam ecclesiam defendere, sanctitas vestra locata est in summa arce. Ne igitur dubitet, non eam saecularis potentiae timor humiliet, non favor inclinet, sed fortiter incipiat, incepta cum dei adiutorio perficiat, insurgentibus obsistat, opprimentes reprimat, sanctamque matrem nostram contra tales defendat.

De iis autem unde nobis dignitas vestra scribere et nostrae parvitas 12

Ad Ep. 171: Respondet litteris praecedentibus.

19-20 suarum villarum P 20 dioceseos LPE Ep. 171 (prius III, 164; IV, 3) coll. cum LPECr 2 Wulstanus r 3 orationis C 5-11 Novit - de-
endant] om. mss. 12 De hiis C autem om. mss.

est dignata consilium quaerere, quantum recordari possumus, dicere non
omittimus. Hanc denique unde consuluit causam ventilari numquam audi-
15 vimus, quia nullus aliquando exstitit, qui hanc Cantuariensi archiepiscopo
potestatem adimere vellet et ne dedicationem propriarum dumtaxat eccle-
siarum publice faceret defenderet. Exstant quippe et in nostra diocesi altaria,
18 et quaedam etiam ecclesia, in his scilicet villis quas STIGANDUS, vestrae
excellentiae praedecessor, haud tamen iure ecclesiasticae haereditatis, sed
ex dono possederat saecularis potestatis, ab ipso dedicata nostris et ante-
21 cessoris nostri temporibus, nobis inconsultis nec antea nec postea quicquam
inde calumniantibus, utpote hanc specialem potestatem eiusdem metropolitani
episcopi esse scientibus. Iudicium tamen hinc agitatum, aut hoc ex iure
24 sibi vindicatum aliquando minime audivimus; sed quod in nostra diocesi
eum libere fecisse agnovimus, in aliorum etiam facere posse credimus. Ecce,
quantum inde reminisci aut scire potuimus, prudentiae vestrae intimavimus.
27 Iam quid faciendum sit, ipsa consideret. Valeat paternitas vestra et oret
pro nobis.

172.

Ad OSBERNUM episcopum Exoniensem.

*Eum obsecrat, ut monachos de Batailla Exonii morantes contra molestias
quorundam clericorum defendat, et ne eos pulsare signa sua secundum ordinem
suum sive populi auxilium ad ecclesiae suae constructionem postulare prohibeat.*

ANSELMUS, dei dispositione vocatus archiepiscopus Cantuariensis:
reverendo episcopo Exoniensi OSBERNO salutem.

3 **E**piscopalem decet dignitatem quoscumque potest ad servitium dei
invitare, et volentes deo servire quibus valet consulendo et adiuvando con-
fortare. Hac igitur fiducia reverentiam vestram obsecro, ut monachos de
6 monasterio quod vulgo dicitur de Batailla, in vestra civitate morantes, propter

Ad Ep. 172: 2 OSB.] Episcopus Exoniensis sive Excestrensis (= Exeter) a. 1072-
1103. 6 de Batailla] (= Battle) Apud Hastings. morantes] In prioratu
S. Nicolai, ut GRANDISSON in margine codicis C notat.

15 existit C 18 in his r in hiis C 19 haud] aut C 24 vindicatum] iu-
dicatum Pr 27 Iam] iam r **Ep. 172 (prius III, 20) coll. cum VC**
6 Batilla C

deum et propter nostrum – si quid ad hoc valere potest – amorem, paternam et episcopali pietate adiuvetis et ab omnibus adversariis pro possibilitate vestra – sicut vos decet – defendatis; quatenus, si quid boni deus per illos operari dignabitur, cum illis a deo retributionem recipiatis. Audivi enim quod quidam de clericis vestris fecerunt illis quaedam quae fieri non oportuit. Unde precor ut praedictis monachis eam iubeatis fieri satisfactionem, ut deinceps iuste conqueri non possint de clericorum vestrorum indiscretionem. Eosdem quoque clericos fraterna caritate et paterna fiducia precando moneo, quatenus sic se habeant erga eosdem fratres, ut ipsa caritatis exhibitione et benigna familiaritate probent sibi placere profectum illorum et studium ad serviendum deo.

Quod autem prohibetis eos pulsare signa sua secundum ordinem suum: nusquam recte solet fieri, nisi ubi monachi in matre ecclesia civitatis deserviunt. Ubi enim canonici in maiori ecclesia ad serviendum deo sunt constituti, unusquisque ordo, canonicorum scilicet et monachorum, secundum opportunitatem servitii sibi iniuncti tardant vel festinant signa pulsare absque omni recta prohibitione. Quapropter ratione ipsa commoniti, eos signa sua secundum ordinem suum pulsare deinceps prohibere ne velitis.

Hoc quoque petunt ipsi fratres et ego cum illis et pro illis ut, si quando in aliquo conventu populi auxilium postulare volunt ad ecclesiae suae constructionem, nullatenus prohibeantur. Valete.

173.

Ad WILLELMUM abbatem et monachos Beccenses.

Quomodo sese habeat eos melius a nuntiis viva voce quam per suas litteras discere posse scribit. – Fratres adolescentes monet, ut sui suarumque admonitionum memores sint.

Dominis et fratribus carissimis, domno abbati WILLELMO et servis dei Becci commanentibus: frater ANSELMUS, vocatus archiepiscopus, deduci in via dei et ingredi in veritate eius.

Ad Ep. 173: Forsitan scripta post mensem Februarii a. 1094, quo ANSELMUS discors a rege apud Hastings morante discessit (in necessitate). 3-4 eius] Cf. Ps. 85, 11.

12 monachis] monachicis C 15 caritas C 27 constructionem] constitutionem C
Ep. 173 (prius III, 21) coll. cum VC 1 et 6 WILL.] .G. C

Scio, dilectissimi mei, quia semper quae erga me sunt desideratis cognoscere, nec puto esse in hac vita qui mihi fidelius compatiantur aut con-
 6 gaudeant. Sed quoniam per domnum WILLELMUM fratrem nostrum et
 per ANSFRIDUM servientem nostrum plenius potestis discere quid mihi
 sit quam per brevem epistolam, et puto quia iam ex magna parte audistis
 9 per domnum FARMANNUM et alios qui nuper a me ad vos venerunt:
 existimo non opus esse in praesenti epistolam longius de hac re perducere.
 Ut autem pro me dilecto dilectore vestro, in maiori quam umquam habui
 12 necessitate, ut puto, oretis, spero quia precibus non indigetis. Ad quod mihi
 sufficere videtur, ut sciatis quia nimis indigeo.

Dulcissimos filios ante tempus ablactatos meos – adolescentes dico, qui
 15 propter aetatis teneritudinem et naturalem mobilitatem saepe sui memoria
 affectuose movent cor meum –, illos specialiter moneo, precor et obsecro,
 ut in tota vita sua mei et dilectionis quam erga se in me experti sunt me-
 18 mores, nulla umquam perversitate contristent cor meum; et sciant pro certo
 quia, si secundum desiderium meum et secundum admonitiones quas a me
 perceperunt vixerint, in qualibet tribulatione multum consolabuntur animam
 21 meam; et si aliter fecerint, nimis peccabunt contristando eam. Spero enim
 adiuvante deo quia non me latebit vita eorum, quoniam semper sollicitus ero
 inquirere conversationem illorum. Omnipotens deus sic vos deducat, ut ad
 24 conspectum gloriae suae perducatur.

174.

Ad BOSONEM monachum Beccensem.

Se excusat quod eum nondum litteris consolatus sit, et promittit se data oportunitate eum secum vivere facturum esse.

ANSELMUS, vocatus archiepiscopus: dilectissimo fratri et filio BOSONI dei et suam benedictionem.

9 FARM.] Monachus Cantuariensis (cf. Ep. 355). Ad Ep. 174: 1-2 BOS.] Monachus, postea abbas IV. Beccensis (in catalogo Beccensium n. 261: Boso III abbas). Eius *Vitam* cf. PL 150, 713 ss. - Eum ANSELMUS in libro *Cur deus homo* secum disputantem inducit.

14 meos] et *add.* C 19 meum desiderium C 22 sollicitus] eorum *add.* C
 Ep. 174 (prius III, 22) coll. cum VC

Mirari potest homo forsitan, cuius conscientiam sic novi, ut nullum 3
hominem supra me diligat, et quem tantum diligo, ut nesciam quem plus
diligam: cur tanto tempore absens eum dolentem de mea absentia aliqua
per litteras visitatione non sim consolatus. Sed certus esto quia non negli- 6
gentia nec oblivione tui factum est. Sicut enim certus sum quia tu semper
velles esse mecum, ita ne dubites quia ego semper vellem esse tecum. Si
autem deus pacem et opportunitatem mihi dare dignabitur, ut tuae dilectio- 9
nis mihi liceat frui praesentia: scito quia hoc ut fiat curabo libentissime, et
si non semper, vel tantum quantum permittet ratio. Quidquid vero fiat, serva
dilectionem meam, carissime, quia ego tuam servare desidero. Saluta dulcis- 12
simum filium meum, fratrem tuum RAINALDUM. Conforta quoscunque
potes de fratribus tuis saepe, et maxime adolescentes et novitios. Omnipoten-
s dominus te semper ab omni malo custodiat. 15

175.

Ad RODULFUM abbatem Sagiensem eiusque monachos.

*Ab eo petitur consilium dat quid fiat de fratre qui ab episcopo a se inter-
dicto ordinatus est, et de altero qui mulieri quaesivit herbas quibus virum suum
interficeret. - Quomodo se habeat refert.*

Dominis et fratribus carissimis, reverendo abbati Sagiensi RODULFO
et aliis servis dei sub illo commanentibus: frater ANSELMUS, vocatus
archiepiscopus, ad altiora virtutum et monachici propositi semper proficere 3
et numquam deficere.

De fratre illo, quem dicitis esse ordinatum a quodam episcopo qui
a nobis est interdictus, hoc respondeo quia, si ordinatus est ab episcopo 6
de Walis qui vocatur HERWARDUS: nec illis ordinibus quos ab illo ac-
cepit nostra concessione aliquando utetur, nec ab alio episcopo reordinari debet.

10 curabo] ANSELMUS eum per annos secum habuit (cf. *PL* 150, 725 s.). Ad
Ep. 175: 1 ROD.] Abbas Sagiensis ab a. 1089, postea episcopus Rofensis (1108-
1114), tandem archiepiscopus Cantuariensis (+ 1122). 7 HER.] Episcopus Lan-
daviensis (= Llandaff) a. 1056-1104.

Ep. 175 (prius III, 23) coll. cum VC

- 9 De altero vero fratre, qui herbas quaesivit mulieri, quibus virum suum interficeret: quamvis prope vos habeatis de hac re in Normannia sufficiens consilium, tamen, quia a me hoc petitis, nostrum negare non debeo sensum.
- 12 Si monachus noster esset, et vir ille cuius morti quaesivit herbas, ipsis interfectus esset, numquam ad diaconatum per me vel sacerdotium ascenderet.
- 15 Multa dilectioni vestrae, si cordis affectum sequerer, scriberem; sed quoniam, ut puto, illis loquor, qui ex conscientia sua meam cognoscunt, breviter dico quoniam, sicut propter deum nos invicem dileximus, ita desidero et oro deum et vos rogo, ut in eadem dilectione propter deum perseveremus. Quatenus, sicut causa propter quam caritas ipsa incepta est, numquam deficiet, ita caritas inviolata permaneat.
- 21 De statu vitae nostrae scio quia desideratis ut amici cognoscere. Nescio quid in futuro deus de me sit factururus, sed adhuc non sensi, ex quo suscepi nomen archiepiscopi, unde cor meum audeat gratulari. Quapropter oro superplex et obsecro, ut mihi in necessitate mea orationibus vestris subveniatis, donec ad quid deus me a vobis et aliis amicis nostris qui in Normannia sunt, non sine gravi dolore adhuc perseverante separaverit, cognoscatis. Omnipotens dominus sua vos gratia et benedictione semper laetificet et in animabus vestris virtutes multiplicet.

176.

Ad HUGONEM archiepiscopum Lugdunensem.

Refert de lite cum rege - de pecunia ei danda, de agnoscendo URBANO papa, de pallio petendo, de concilio convocando, de quibusdam terris ecclesiae Cantuariensis ab eo ablatis - et petit consilium de eo quid sibi faciendum sit.

Domino et amico carissimo, reverendo Lugdunensi archiepiscopo HUGONI: frater ANSELMUS, sive iubente deo sive permittente vocatus archiepiscopus Cantuariæ, diu in hac vita lucere et semper in futura gaudere.

Ad Ep. 176: Scripta initio a. 1094. [1-2 HUG.] De eo cf. Ep. 100, et passim.

12 ipsis] herbis *add.* C

Ep. 176 (prius III, 24) coll. cum VC

Si omnia facienda sunt cum consilio, illa maxime facienda sunt cum diligenti consilio, in quibus nihil nisi quod oboediat voluntati dei quaerendum est. Precor igitur sanctitatem vestram, ut propter deum et propter caritatem 6 quam scio in illa erga me, petat a deo consilium quod mihi det.

Ut breviter loquar, audistis, ut puto, qualiter subito raptus sim ad archiepiscopatum. Antequam praeberem assensum, palam dixi me favere 9 domno papae URBANO et WIBERTO adversari; et feci et dixi per sex menses quod potui sine peccato, ut dimitterer. Tandem timore dei ob multas rationes coactus, subdidi me dolens praecepto archiepiscopi mei et electioni 12 totius Angliae, et sacratus sum. Forsitan »illic« trepidavi »timore, ubi non erat timor«, sed nescivi – deus scit –, et adhuc nescio. Paulo post rex noster iturus in Normanniam multa pecunia indiguit. Antequam a me quid- 15 quam peteret, consilio amicorum promisi illi pecuniam non parvam, – novit deus qua intentione. Sprevit quasi modicam, ut plus darem; sed nolui. Gratias deo, quo miserante simplicitatem cordis mei hoc factum est, ne, si 18 nihil aut parum promissem, iustam videretur habere causam irascendi; aut si accepisset, verteretur mihi in gravamen et in suspicionem nefandae emptionis. 21

Ex illa hora visus est quaerere occasiones adversum me. Locutus sum de pallio; noluit ut illud peterem, quamdiu ipse nullum reciperet apostolicum, aut ut saltem huius dilationis excusationem domno papae intimarem. 24 Sustinui usque nunc consilio episcoporum propter vitandam infructuosam dissensionem, si forte deus aliquid interim operaretur, unde illi domni papae receptio persuaderetur. Petivi ut concilium convocaretur, quod per multos 27 annos in Anglia factum non fuerat, quatenus corrigerentur quaedam in eodem regno, quae nullatenus toleranda videbantur. Ipsum quoque monui, ut quae-

4 cum consilio] Cf. Eccli. 32, 24; Prov. 13, 10, 16 (cf. *Regula* s. BENEDICTI, c. 3 [ed. BUTLER, lin. 29]). 9 dixi] Cf. *Hist. Nov.* 40; 371. 10 WIB.] Antipapa (Clemens III.) ab a. 1080 (+ circa a. 1100); prius archiepiscopus Raven- natensis. 13-14 timor] Ps. 13, 5. 14 deus scit] Cf. 2 Cor. 12, 2 s. Paulo post] Ad sequentia cf. *Hist. Nov.* 43 ss.; 373 s. 15 iturus in Norman- niam] Profectus est, postquam plus quam mensem in littore exspectaverat, d. 19. Martii a. 1094; reversus est d. 29. Decembris eiusdem anni. 22 Locutus sum etc.] In *Hist. Nov.* (52 ss.; 379 ss.) solummodo post reditum regis de pallio sermo est. 27 Petivi] Ad sequentia cf. *Hist. Nov.* 48 s.; 377.

4 sunt¹ om. C

7 in illo V

19 parum] parem V

26 interim] interius C

30 dam quae mihi aliter quam oporteret facere videbatur, corrigeret. Ex his
 aperte iratus me amorem suum perdidisse manifestavit. Respondi me malle
 ut ipse mihi irasceretur, quam ut deus illi, et sic a praesentia eius discessi.
 33 Postera die rediens ad eum dixi me libenter facturum illi rectitudinem, si
 qua culpa in me adversus illum inveniretur – quam tamen ego nesciebam –,
 et rogavi ut amorem suum mihi redderet. Respondit se nec rectitudinem
 36 tunc recepturum nec amorem redditurum, nisi dicerem cur illum mihi reddere
 deberet. Visus est mihi velle pecuniam. Quam dare nolui, ne culpam, quae
 non erat, viderer fateri. Iratus est in tantum, ut diceret quae non debuisset,
 39 et quasdam terras non parvas, quas archiepiscopus LANFRANCUS tempore
 patris eius et tempore ipsius quiete usque in diem sui obitus tenuit, militi-
 bus partim daret, partim dare disponat, sub occasione cuiusdam voluntariae
 42 iustitiae, secundum quam de terris eisdem me vult placitare; cum ego dicam
 quia non me debet ad placitandum cogere de terris, quas archiepiscopus
 antecessor meus tam diu quiete tenuit et ipse mihi dedit, sicut ille tenuit.
 45 Haec autem est illa, quam dixi, voluntaria iustitia: Quoniam terras
 easdem, antequam Normanni Angliam invaderent, milites Angli ab archie-
 piscopo Cantuariæ tenuisse dicuntur et mortui sunt sine haeredibus, vult
 48 asserere se posse iuste quos vult eorum haeredes constituere. Intendat igitur
 prudentia vestra et consideret quid ex praedictis sentiam, quatenus sententiam
 meam litteris vestris aut approbetis aut ostensa ratione infirmetis, et me in
 51 eo quod magis tenendum est confirmetis. Haec enim est cogitatio mea: Rex
 mihi dedit archiepiscopatum, sicut eum archiepiscopus LANFRANCUS usque
 in finem suae vitae tenuit; et nunc aufert ecclesiae et mihi quod illa et idem
 54 archiepiscopus quiete tam diu tenuit et ipse mihi dedit. Certus autem sum quia
 archiepiscopatus iste nulli dabitur post me, nisi quemadmodum ego illum in
 die obitus mei tenebo; nec si alius rex me vivente venerit, concedet mihi
 57 nisi quod tenentem inveniet. Si ergo ita tenuero archiepiscopatum imminutum
 usque ad obitum meum, hoc modo perdet ecclesia per me. Si quis enim alius,
 ad quem ecclesiae custodia non pertineret, hanc faceret ei violentiam aut
 60 factam patienter sustineret, palam esset quia in futuro nihil dici posset, cur
 res ecclesiae ad eam redire non deberent. Nunc autem, cum et ipse rex ad-
 vocatus eius sit et ego custos: quid dicetur in futuro nisi, quia rex fecit et

33 Postera die] Ad sequentia cf. ibidem, 50 ss.; 378 s.

30 Ex hiis C

archiepiscopus sustinendo confirmavit, ratum esse debet? Melius igitur mihi ⁶³ est coram deo, ut possessionem terrarum ecclesiae non sic teneam et officium episcopi, si permittor, more apostolorum pauper faciam in testimonium illatae violentiae, quam ut illam imminutam tenendo, irrestaurabilem faciam eius im- ⁶⁶ minutionem.

Est et aliud quod similiter cogito. Si metropolitanus sacratus episcopus per totum primum annum nec papam viventem nec pallium requiro, cum ⁶⁹ possum: iuste ab ipso honore removendus sum. Quod si hoc facere nequeo sine amissione archiepiscopatus, melius mihi est ut mihi violenter auferatur, immo melius est ut ego archiepiscopatum reiciam, quam apostolicum abnegem. ⁷² Sic cogito et sic facere volo, si mihi non scribitis cur hoc facere non debeam.

Omnipotens dominus sic sanctitatem vestram diu in hac vita sua gratia custodiat, ut ei in futura aeternam felicitatem tribuat. Amen. ⁷⁵

177.

Ad OSMUNDUM episcopum Seriberiensem.

Praecipit ei, ut filiam regis Scottorum ad ordinem religiosum, quem reliquit, redire compellat.

ANSELMUS, Cantuariensis ecclesiae dictus archiepiscopus: OSMUNDO, Seriberiensis ecclesiae digno pontifici, et laudabiliter vivere, et ad finem quem deus laudat gloriose pervenire. ³

Cura pastoralis et canonum peritia sanctitatem vestram commonere et interiora cordis vestri tangere debent pro filia perdita – filiam regis Scottorum dico –, quam diabolus velamen religionis deponere fecit et in habitu ⁶ saeculari inverecunde permanere facit. Cuius nefas aperte corripere hactenus

Ad Ep. 177: Scripta vere vel hieme a. 1094 (cf. *Revue Bénédictine* 1931, p. 232 ss.). I OSM.] Sanctus, episcopus Serisberiensis (= Salisbury) a. 1078-1099. Ostendimus l. c. in litteris agi de EDITHA, filia regis MALCOLMI III. Canmore (+ 1093) et s. MARGARETHAE Atheling (+ 1093), quae in abbacia Wiltunia in diocesi Serisberiensis educata fuerat, et postea (a. 1100) sub nomine MATHILDIS uxor regis HENRICI I. facta est (+ a. 1118). De iis quae matrimonio praecedebant, vide *Hist. Nov.* 121 ss.; 425 ss.

Ep. 177 (s I) coll. cum T I ANS.] .A. T OSM.] .O. T

distuli, veritus ne regis adiutorium vel favor eam ad peccatum impulisset aut
 9 impulsam detinisset. Qua causa, quando rex mare transiturus erat, ipsum
 de ea conveni consulens quid de hac re sentiret. Is, uti bonum regem decuit,
 respondit sibi placere, si ipsa ad ordinem rediret, nec ad se quicquam pertinere,
 12 nisi quod ei cibum daret. Unde hortor, moneo ac diligenter rogo beatitudi-
 nem vestram, quatenus eam auctoritate pastorali ad ordinem, quem superbe
 contempsit, per humilitatis viam redire compellatis, ne salutem eius contemnere
 15 videamini, pro qua Christus IESUS sanguinem suum fudit. Quod autem de
 hac re gesseritis et quid me amplius facturum esse intelligitis, volo ut litteris
 vestris mihi assignare studeatis.

178.

Ad WILLELMUM abbatem et monachos Beccenses.

*Gratias agens de orationibus eos ad profectum hortatur et de diversis rebus
 monasticis instruit.*

Suis dilectissimis et desideratissimis, domno abbati WILLELMO et
 aliis servis dei in Beccensi coenobio commanentibus: frater ANSELMUS, pro-
 3 fessione et corde monachus Beccensis, dei dispositione vocatus archiepiscopus
 Dorobernensis, praesentis vitae continuam prosperitatem et futurae aeternam
 felicitatem.

6 Quoniam nec novum nec insperatum nec extraneum est quod fraterna
 vestra caritas, pia compassione succensa, suis orationibus assidue mihi in assi-
 duis necessitatibus divinum implorat auxilium, nec ignoratis quia cor meum
 9 vestra dilectio totum implet et possidet: non puto opus esse gratiarum actiones
 me vobis in epistola depingere, quas non ignoratis me semper in cordis scrinio
 servare. Ubi enim tanta cordis est et animarum unitas, plus ipsae sibi invicem
 12 sunt notae conscientiae, quam lingua aut stilus possit exprimere. Et ut in hoc

9 transiturus erat] D. 19. Martii a. 1094 post longam moram naves solvit (cf. Ep.
 praecedentem). Prius ANSELMUS cum rege multa colloquia habuit (cf. *Hist. Nov.* 47
 ss.; 376 ss.).

Ad Ep. 178: Videtur scripta post benedictionem WILLELMI
 in abbatem (d. 10. Augusti a. 1094).

10 uti] ubi T Ep. 178 (prius III, 26) coll. cum VC | WILL.]
 .G. C 3 monachus] m V (a Picardo expunctum); C

quod assidue facitis perseveretis, maiores preces non habeo, quam ut repetam quod scitis, ut scilicet animam meam, ubicumque corpus sit, vestram semper esse, et ad vos, quantum in ipsa est, desiderare, et absentia vestra tabescere 15 nullatenus dubitetis. Nisi enim eius tristitiam divinae dispositionis consideratio temperaret, nullatenus immensitatem eius sine gravissima laesione toleraret.

Nihil igitur me modo magis dilectioni vestrae delectat scribere, quam ut 18 in sancto proposito, ad quod convenistis, studeatis proficere, et ex nulla parte clam vel palam antiqui hostis insidias in vos permittatis irrumpere. Quod ut efficacius efficere valeatis, invicem vos caritative custodite, monete, corrigite, et 21 haec ab invicem velut magna beneficia vobis impendi benigne sustinete. Praelati subditos studiosos benignitate sustineant, tepidos exhortatione accendant; si qui sunt pervicaces, disciplina coerceant. Subditi, praelatis non ficta 24 oboedientia et maxime abbati subiacete, et vos non graves, sed faciles ad portandum exhibete. Valde namque subditi coram deo peccant, si praelatos non metuunt suis moribus gravare, qui eos solo dei timore et fraterna caritate 27 susceperunt portare.

Occasiones equitandi claustrales, nisi cogente oboedientia, non solum non exquirant, sed nec occurrentes suscipiant. Qui enim claustra monasterii 30 libenter exeunt, non solum sibi, sed et aliis suo exemplo noxii sunt, quoniam aut murmurationis aut vagationis illis auctores sunt. Nec domnus abbas ulla-tenus hoc concedere debet, si rigorem ordinis vult servare. Hospites cum 33 gaudio suscipientes, illis secundum facultatem vestram cum omni hilaritate ministrare. Constitutionem nostram et vestram de eleemosina pauperum nullo modo minui permittatis, sed potius, si poteritis intelligere qualiter eam ratio- 36 nabiliter augere possitis, augete. Omnipotens deus voluntates et actiones vestras dirigat in beneplacito suo, et faciat vos ab invicem videri in regno suo. Amen. 39

179.

Ad BALDRICUM priorem Beccensem.

Eum laudat quod abbatem suum omni modo sustentet.

ANSELMUS, vocatus archiepiscopus: dilectissimo fratri domno priori BALDRICO salutem et benedictionem dei et suam, si quid valet.

³ Gratias ago deo, a quo est omne bonum, et dulcissimae dilectioni vestrae pro omnibus bonis quae de ea mihi referuntur ab omnibus, qui a vobis ad me veniunt. Et quamvis vestra bona voluntas bonumque propositum ⁶ iam longo usu probatum confirmatumque sit, ut frequenti non egeat monitione: dulce tamen mihi est ut vos rogem toto corde, ut perseveretis in deo grata intentione, quatenus in futura vita gaudeatis de beata retributione.

⁹ Et cum de omnibus vestris bonis studiis et operibus gaudeam: in illo maxime cor meum exsultat, quod domno abbati benigna oboedientia concordatis et laboriosum eius onus et onerosum laborem vestra consolatione ¹² levigatis, nec pati potestis ut aliquis eius ordinationibus aut detrahat aut resistat. Certum enim est et experimento saepe cognitum quia monasterium, in quo subditi facta praelati diiudicant, benigna dei dispositione non ¹⁵ nitur, sed per abrupta vitiorum dissolvitur et discordia scindente destruitur. Ubi vero praelati facta et ordinationes velut a deo inspirata ab omnibus communiter suscipiuntur, ibi deus inhabitat et quasi propriam domum, cuius tota ¹⁸ cura super ipsum iactatur, disponit et ordinat. Hoc ergo super omnia precor et moneo, ut servetis et in hoc studio instanter perseveretis. Omnipotens deus dirigat omnes actiones vestras, frater carissime, et ad vitam perducatur aeternam. ²¹ Amen.

Ad Ep. 179: Fortasse una cum Ep. praecedente missa. 3 bonum] Cf. Iac. 1, 17.

Ep. 179 (prius III, 27) coll. cum VC 6 usui (rasura l) V 7 roget C

180.

Ad ROBERTUM principem Flandriae.

Hortatur suum amicum ad sectandam iustitiam et misericordiam. - Commendat suos monachos in Flandriam missos.

Dilectissimo domino, reverendo Flandriae principi ROBERTO: ANSELMUS, servus servorum Christi JESU, vocatus archiepiscopus Cantuariæ, fideles orationes.

3

Quoniam cara mihi est excellentiæ vestrae benignitas, quam mihi, quotiens vobiscum locutus sum, dignati estis ostendere: debeo vel litteris aliquando significare eius memoriam apud me numquam veterascere et me deum orare, quatenus ipse vos sua benignitate dignetur ab omni malo defendere. Et quoniam mihi iniunctum est, ut in huius vitae exilio quos valeo ad caelestem patriam non desinam exhortari: hoc certe servitium illis non debeo subtrahere, quibus scio me dilectionis debito copulari.

Suggerit igitur vestrae sublimitati, non corripiendo sed de bonis ad meliora invitando, mea humilitas, ut assidue cogitet illud quod sacra iubet auctoritas: » Diligite iustitiam, qui iudicatis terram «. Quanto enim illorum, quibus terra commissa est ad regendum, praeeminet potentia, tanto magis, si a iustitia deviant, non regunt nec adiuvant humanum genus, sed perturbant et gravant sua violentia. Talibus utique terribilis illa comminatio intenditur: » Potentes potenter tormenta patientur «; et: » fortioribus fortior instat cruciatus «. Semper igitur in actibus suis servet iustitiam vestra prudentia, et in offensionibus quae sibi fiunt, indulcet eam sua misericordia. Nam et hoc iustitia imperat, ut qui sibi vult misereri, misericordiam aliis impendat. Breviter monui quod cor meum assidue desiderat, sed omnipotentem deum precor, ut sic ipse vobis terrenum principatum gubernare tribuat, quatenus in futura vita regnum caeleste vobis retribuat.

Ad Ep. 180: Scripta videtur a. 1094 (ad inscriptionem ,serv. serv. Christi IESU' cf. Ep. 169 et 170). 13 terram] Sap. 1, 1. 16-17 patientur] Ibi dem, 6, 7. 17 cruciatus] Ibidem, 9 (Vulg.: cruciatio). 20 impendat] Cf. Matth. 5, 7.

Ep. 180 (prius III, 28) coll. cum VLPEVⁱ 5 vobiscum] vobis E loc. sum vobiscum Vⁱ 10 me scio P 14 praeeminet] praeeminet VP praeminorum (1) Vⁱ

24 Salutant vos, ut fideles servi dominum, fratres nostrae ecclesiae, pro quo-
rum necessitatibus in Flandriam latores praesentium mittimus. Qui mecum
vestram pietatem flagitant ut, sicut ipsi in iis quae deo in se placent, si qua
27 sunt, vos fratres esse desiderant, sic vos hoc dignari, cum opus et opportunum
erit, in vestra tuitione percipiant. Salutamus pariter ego et illi uxorem vestram
ut dominam carissimam, quam sic adiutricem nostram vobiscum esse, cum res
30 exiget, deprecemur, sicut eam vobiscum in dilectione et orationibus amplecti-
mur. Valete.

181.

Ab IVONE episcopo Carnotensi.

Precatus, ne in altum gradum sublimatus sui immemor sit, ei nuntiat se mo-
nachis Beccensibus contra Molismenses astitisse; et illos de Pixiacensi monasterio
plenam iustitiam per se consecutos fuisse, nisi Molesmenses prius regis benevo-
lentiam captassent. - Commendat fratrem ROTHARDUM, latorem praesentium.

*ANSELMO, reverendo Cantuariensium archiepiscopo: IVO, humilis
Ecclesiae Carnotensis servus, pro modulo sibi collato fidelium orationum
3 munus.*

*Quamvis placuerit ei qui te invitavit, ut tibi non alta quaerenti di-
ceret: »ascende superius« : non tamen ideo credimus paternitatem tuam nulli
6 religioso onerosam minus esse memorem eorum, quos aliquando in Christo
dilexerat vel a quibus pro Christo aliquod obsequium fraternitatis acceperat.
Quod tamen si aliquando ex cotidiana ecclesiasticorum negotiorum instantia
9 contingeret, tamen non immemores vestri parvitalis nostrae memoriam tuae
sublimitati quibus possumus vehiculis ad mentem reducimus, utpote qui tuis
desideramus orationibus fulciri et copiis, si necesse fuerit, relevari.*

Ad Ep. 181: Scripta circa a. 1094. 1 IVO] Celebris canonista, ex abbate ca-
nonicorum regularium S. Quintini Belvacensis episcopus Carnotensis a. 1090-1115. 4
alta quaerenti] Cf. Rom. 11, 20. 5 superius] Luc. 14, 10. 8 instantia] Cf. 2
Cor. 11, 28.

30 exiget] eriget *V*ⁱ deprecemur *V* **Ep. 181** (Epist. IVONIS Carnoten-
sis 39 [PL 162, 50]) coll. cum *D*; cod. Paris. lat. 2887, s. XII. (=Z) et 16713,
s. XII. (=N^a) 1 cantuariensium N^a cantuariorum Z archiepiscopo om. Z
IVO] .Y. Z 2 carnot. ecclesiae Z 6 honerosam Z 9 tamen om. Z ve-
stri] nostri Z; N^a. (r excidit) 10 reducimus] sic conieci cum¹ ed.¹ PL 162, 51; re-
ducere mss.

*Astitimus enim hoc anno pro multa in te benevolentia monachis Bec-¹²
censibus contra Molismenses, quantum ratione et auctoritate suffragante
potuimus; et iam de Pixiacensi monasterio plenam per nos consecuti fuis-
sent iustitiam, nisi quod prius affectant regis captare benevolentiam.* ¹⁵

*De cetero commendo paternitati tuae fratrem ROTHARDUM, prae-
sentium latorem, per oboedientiam confratrum ad partes istas directum, ut
in quo indiguerit, consilio eum munias et auxilio. Si autem servitium no-¹⁸
strum in aliquo tuae sanctitati fuerit commodum, oboedituro praecipe. Vale.*

182.

Ad HENRICUM priorem ceterosque monachos Cantuarienses.

*Scribit se numquam permittere discordiam et inoboedientiam in sua ecclesia
oriri, et praecipit, ut omnes - domno WILLELMO non excepto - priori vel
subpriori sicut sibi oboediant.*

ANSELMUS, gratia dei archiepiscopus: dominis et filiis suis carissimis,
domno priori HENRICO et subpriori ANTONIO, domno ERNULFO et
domno OSBERNO, et aliis servis dei in Christi ecclesia commanentibus semper ³
delectari in domino et eius perpetua benedictione tueri.

Audio inter vos esse scandala et murmurationes, quia quidam sunt
inter vos, qui se domno priori subicere contemnunt, et ea quae licentia eius ⁶
facienda sunt, illo omnino nesciente et sine eius licentia passim faciunt; et cum
ab eo vel ab aliquo reprehenduntur in capitulo, eius se iudicio regulari hu-
militate subdere despiciunt, et insuper hoc se totum nostra auctoritate facere ⁹
affirmant. Unde quasi diversae sectae et partium dissidentium lites inter vos
nascuntur et discordiae.

13 Molismenses] Non ex illo coenobio, quod S. ROBERTUS fundavit, sed ex altero
apud Lutetiam Parisiorum sito. 14 Pix. monast.] Cf. Ep. 157. - De illa lite
inter Beccenses et Molismenses cf. Ep. 9 IVONIS (PL 162, 21). **Ad Ep. 182:**
Scripta ab ANSELMO absente, a. 1094-1096 (prior HENRICUS abbas de Bello
a. 1096-1102). 1 gratia dei arch.] Primum hic titulus occurrit. 2 ERN.]
Post HENRICUM (a. 1096) prior Cantuariensis, a. 1107 abbas Burgensis, a. 1115-
1124 episcopus Rofensis. 4 delect. in domino] Cf. Ps. 36, 6.

14 per vos Z 15 affectant] sic DN^a; affectabant Z 16 rothradum Z 19
Vale om. Z. **Ep. 182 (prius III, 29) coll. cum LPEV** 2 suppriori
PV 10 deversae P

12 Qua de re vestram dilectionem scire volo quia numquam in nostra vo-
luntate fuit nec deo protegente erit, ut in ecclesia mihi ad regendum com-
missa tanta et tam reprobanda inordinatio oriatur, aut si aliquo casu oritur,
15 nutriatur aut permittatur. Praecipio igitur, ut omnes sicut mihi, nostra ser-
vata praelatione, et in petendis licentiis et in exsequendis mandatis et in
iudicandis negligentis domno priori et post illum subpriori subditi sitis humili
18 benignitate et benigna mansuetudine. Et quoniam praefatae murmurationis
causam et pondus super domnum WILLELMUM quidam maxime imponunt:
de illo nominatim dico quia numquam volui nec volo, ut aliquo modo priori
21 inoboedienter resistat; nec de illo aliud statuo, quam quod vobis audientibus
in capitulo de illo precatus sum et consului, cum propter memoriam domini et
patris nostri archiepiscopi LANFRANCI, tum propter infirmitatem eius. Quod
24 tamen non sine discretione et humili oboedientia fieri ullatenus concedo.

» Pax dei quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et in-
telligentias vestras «. Amen.

183.

**Ad EULALIAM abbatissam et sanctimoniales S. Edwardi
Sceptesberiensis.**

*Eas ut observantia in parvis quasi sanctis passibus in caelum ascendant hor-
tatur. — Sese male habere in archiepiscopatu significat.*

ANSELMUS, dei dispositione vocatus archiepiscopus: dominae et ma-
tri, reverendae abbatissae EULALIAE et sanctae congregationi illi com-
3 missae in sanctitate semper proficere et ad beatitudinem pertingere.

Quamvis vestrum sanctum studium mea monitione non egeat, cogit me
tamen dilectio, quam erga vos habeo, et officium meum, ut vobis aliquid
6 exhortando scribam. Considerate incessanter, filiae et sorores meae dilectissi-

25-26 vestras] Phil. 4, 7. Ad Ep. 183: Scripta esse videtur a. 1094. 2
EUL.] Abbatissa S. Edwardi, coenobii Sceptesberiensis (= Shaftesbury); cf. Ep. 339.

13 ad regendam P 17 domino E Ep. 183 (prius IV, 105; IV, 129)
coll. cum T; cod. Lond. Mus. Brit. Claud. E. I., s. XII. (= A); cod. eiusdem biblio-
thecae Harleian. 203, s. XII. (= H^a) 1 ANS.] A. TH^a 2 Eulaliae abba-
tissae A 5 vobis] nobis T

mae, quia in caelum proposuistis et iam incepistis ascendere, ut ibi regnetis et regnando gaudeatis cum domino et amico vestro IESU Christo, qui ibi vos exspectat et exspectando assidue invitat. Quippe quamdiu homo vivit: aut ⁹ ascendit in caelum bene vivendo, aut descendit in infernum male vivendo. Si ergo ad hoc quod proposuistis vultis pertingere, necesse est vos sanctis actionibus illuc quasi quibusdam passibus proficere. Diligenter igitur vitae ¹² vestrae cursum discutite, non solum in operibus, sed etiam in verbis; nec solum in his, sed et in minimis cogitationibus, ne forte, cum in omnibus his semper debeatis sursum tendere, aliquid ibi inveniatur quod magis sit descen- ¹⁵ dere. Quod si bene vultis custodire, expetit ut semper illud cogitetis, quod verissime scriptum est: »qui modica spernit, paulatim decedit«. Qui enim paulatim decedit, non proficit sed deficit; et qui deficit, non ascendit sed descendit. ¹⁸ Hoc ergo curate sollicitate, ut nihil tam parvum sit quod de ordine vestro, ubi vos deus posuit, violetis; et sic sanctis passibus in caelum – quod utinam adiuvente deo fiat! – ascendetis. ²¹

Oro, ut pro me oretis, et tanto attentius, quanto scitis me de dilectione vestra confidere; quoniam numquam cognovi me magis quam nunc orationibus indigere. Tam male enim sum in archiepiscopatu, ut certe – si sine culpa ²⁴ dicere possum – malim de hac vita exire quam sic vivere.

184.

Ad monialem M. filiam RICARDI.

Eam separatim admonet, ne umquam secure sit de sua electione, sed ut magis ad maiora semper proficere studeat.

ANSELMUS, vocatus archiepiscopus: filiae suae carissimae M., filiae RICARDI, sponso suo Christo corde semper adhaerere et operibus oboedire.

17 decedit] Eccli. 19, 1 (Vulg.: spernit modica; decidet).

Ad Ep. 184:

Scripta a. 1094-1097; forsitan una cum Ep. praecedente missa.

2 RIC.] M. esse

filiam RICARDI et ROHAIDIS, quibus [Ep. 94 scripta est, et sororem monachi RICARDI (cf. ibidem) verisimile est.

7 ut ibi regnetis bis *H^a* 8 vestro] nostro *A* 11 hoc om. *H^a* 13-14 nec solum] non solum *A* 14 in minimis] in minimis *H^a* omnibus] hominibus *T* 19-20 ubi vos deus posuit, violetis] ubi vos (nos *T*) deus videre possit, violetis *TH^a* ubi vos videre possitis, violetis *A* ubi vos deus posuit, negligere velitis *editio Maurina in Ep. IV, 105* ubi vos vivere possitis, violetis *ed. Maurina in Ep. IV, 129* 24-25 Tam male - vivere om. *H^a* Ep. 184 (s V) coll. cum *T* 1 ANS.] .A. T

³ Dulce mihi est, filia dulcissima, aliquid specialiter sanctae dulcedini tuae paterno affectu scribere, quia, quamvis te inter alias sanctas sorores tuas ut ancillam et sponsam domini mei diligam, cognosco tamen quod aliquid tibi ⁶ propter amicitiam parentum tuorum plus debeam.

Legisti, carissima, quia » multi sunt vocati, pauci vero electi «. Tene igitur hanc parvam admonitionem patris tui in deo te vere diligentis, filia, ⁹ ut numquam confidas te certissime esse in numero electorum, nisi certissime videris ad tantam sanctitatem profecisse, ut vere sis in numero paucorum; et cum te videris in numero paucorum, nondum segura sis, quia adhuc ¹² nescis si de illis paucis qui electi sunt sis. Qui enim dicit quia » pauci « sunt » electi «, non dicit quam pauci sint. Numquam ergo segura sis, donec te videas de illis paucis, de quibus nulla est dubitatio, qualis fuit beata ¹⁵ AGNES vel SCHOLASTICA et alii sancti viri et mulieres, quos iam in caelo cum Christo gaudere cognoscimus. Nullus igitur, filia dulcissima, virtutum profectus cordi tuo sufficiat, quin semper ad maiora proficere studeat. ¹⁸ Nullus enim potest vitare defectum, nisi qui se semper extendit ad profectum.

Omnipotens dominus sic te sua gratia repleat, ut ad firmissimum culmen ²¹ virtutum te provehat et in thalamum suae gloriae introducat. Ora pro me, dilectore tuo, filia dilectissima, ut me deus dirigat et consoletur.

185.

Ad MATHILDAM abbatissam Wiltoniensem eiusque moniales.

Eas ad observantiam in minimis et ad cordis munditiam exhortatur. - Abbatissae, ut episcopo OSMUNDO oboedientiam et amicitiam exhibeat, commendat.

ANSELMUS, vocatus archiepiscopus Cantuariæ: sororibus et filiabus carissimis, reverendae abbatissae Wiltoniensi MATHILDAE et aliis ancillis ³ dei sub illa commanentibus, electo sponso Christo semper placere.

7-19 Legisti — profectum] Similem admonitionem vide in Ep. 167, 20-30; et aliis in locis. 7 electi] Matth. 20, 16; 22, 14. 8 admonit. patris] Cf. *Regul.*, prolog. (lin. 2-3). Ad Ep. 185: Scripta esse videtur eodem fere tempore quo Ep. 183.

Ep. 185 (prius III, 30) coll. cum LPEVFMD 1 Cant.] .C. MD 2
MATH.] .M. FMD aliis om. MD (in M lacuna) 3 sub ea MD semper om. FMD

Gratias ago sanctitati vestrae quia, sicut audio, pro me assidue orare non cessat, et precor supplex ut quod caritative incepit, perseveranter faciat, donec appareat quid divina dispositio de me intendat. Quatenus vestris orationibus exoratus deus mihi in tribulationibus meis sit clementior, et vobis pro impensa caritate sit benignior.

Praeterea et officium mihi iniunctum a me exigit, et dilectio quam in vobis erga me sentio me invitat, et caritas qua vos diligo mihi persuadet, ut vestrum sanctum studium ac propositum mea exhortetur commonitio semper ad meliora proficere et numquam ab iis, ad quae gratia dei adiuvante attingistis, negligentia vestra gravante deficere. Quod utique efficaciter implere poteritis, si illud considerantes quod scriptum est: » qui modica despicit, paulatim decedit «; et: » qui timet deum, nihil negligit «, etiam minima ordinis vestri non neglexeritis. Tanto enim vigilantius a minimis excessibus debemus cavere, quanto eos frequentius cognoscimus se nobis ingerere, et quanto callidius deceptor noster nullam in eis esse culpam, aut contemnendam, si qua est, nititur nobis persuadere. Quod non solum in exterioribus operibus, sed etiam in intimis cogitationibus debetis servare; nec minus deo displicere indecentem cogitationem quam hominibus reprobendam actionem debetis iudicare.

Denique sicut sponsae carnalium virorum exteriorum foeditatem execrantes, per pulchritudinem carnis et vestium aptitudinem student placere: ita sponsae spirituales regis regum, filii dei, foeditatem interiorum detestantes, per mentis pulchritudinem et ornamenta virtutum ut illi placeant semper debent studere. Pulchritudo certe mentis et nutrimentum virtutum est cordis munditia, cui visio dei specialiter promittitur, ad quam munditiam nullus nisi per magnam cordis custodiam perducitur. Unde scriptum est: » Omni custodia serva cor tuum «. Ad quam custodiam post gratiam dei – quantum ad humanum studium pertinet – hoc est singulare et efficacius consilium, ut

14-15 decedit] Eccli. 19, 1 (Vulg.: qui spernit modica, paul. decidet). 15 negligit] Eccl. 7, 19. 25 regis regum] Cf. 1 Tim. 6, 15. 28 promittitur] Cf. Matth. 5, 8. 29-30 tuum] Prov. 4, 23.

4-9 Gratias - Praeterea et om. FMD 10 mhi om. MD 11 ac propositum om. FMD common.] ammonitio MD 12 ab his FMD gratia dei] dei gratia M deo D 12-13 attingitis V 14 poteris V 15 et - negligit om. FMD 18-19 si qua est contemnendam MD 26-27 debent studere] student studere MD

semper cor vestrum et ubique, quamdiu vigilatis, aut lectione aut oratione
 33 aut psalmis aut aliqua utili cogitatione sive intentione sit occupatum.

Vos, domína abbatissa, precor ut matrem, moneo ut sororem, hortor
 ut amicam, praecipio ut filiae carissimae, quatenus reverendo episcopo
 36 OSMUNDO omni benignitate sanctam et deo placitam oboedientiam sicut
 decet exhibeatis, et eius dilectionem et familiarem amicitiam atque consilium
 et auxilium et in corporalibus et in spiritualibus habere et illi, quod ex
 39 vobis est, exhibere in Christi caritate studeatis. Omnipotens dominus, sponsus
 vester, sit semper custos vester. Amen.

186.

Ad LANFRIDUM abbatem S. Wlmari.

*Scribit ei se vereri ab episcopo eius licentiam deserendi abbatiam impetrare
 et eum potius ad sustentandam tribulationem confortare studet.*

ANSELMUS, vocatus archiepiscopus: fratri carissimo, domno abbati
 coenobii Sancti Wlmari LANFRIDO, divino consilio et adiuvari auxilio.

3 De petitione vestra, qua mihi infatigabiliter instatis, quatenus ab epi-
 scopo vestro consilio et precibus meis tentem impetrare vobis licentiam abba-
 tiam, in qua vos divina constituit dispositio, deserendi: saepe multumque
 6 mecum cogitavi et cum aliis, in quibus consilium spirituale speravi, sum
 locutus; et intellexi, quamvis propter compassionem, qua tristitiae fraternitatis
 vestrae compatiar, valde vobis congaulderem, si dei miseratione consilio et
 9 permissione archiepiscopi et episcopi vestri desiderium vestrum assequeremini;

36 OSM.] Episcopo Serisberiensi, in cuius diocesi abbatia Wiltonia sita est. 36-37
 exhibeatis] Cf. Rom. 12, 1. Ad Ep. 186: 2 S. Wlmari] Ante portas ci-
 vitatis Bononiae-supra-mare; in diocesi apud Morinos (= T  rouanne). LANFR.]
 Puto eum eundem esse ac monachum Beccensem, de quo in Ep. 144 ad episcopum
 Morinorum GIRARDUM. In catalogo Beccensium n. 191: Lanfredus abbas. 9
 archiepiscopi] Scil. Remensis.

32 semper et ubique cor vestrum MD aut oratione aut lectione MD 33 sive] seu
 MD 34-39 Vos - studeatis om. FM 34-40 Vos - Amen om. D 38 auxi-
 lium et] et om. V 40 Amen om. M Ep. 186 (prius III, 31) coll.
 cum LPEVFMD 1 vocatus om. FMD fratri carissimo om. FMD 2 coe-
 nobii om. MD LANFR.] .L. F; om. MD 4 vobis impetrare MD 5 divina
 vos dispos. constituit MD 7-8 vestrae fraternitatis MD 9 archiep. vestri et
 episcopi MD

periculosum tamen mihi esse tam inusitatem rem petere et consulere. Timeo enim me non parum peccare, si mea instantia locus vobis commissus omni rectore destituitur atque et rerum et ~morum et ordinis maiori, immo omni- 12
moda vastatione destruitur. Si enim ad aliud ibi vestra non prodesset prae-
sentia, nisi quia non ibi regnare potest nec libere exerceri sine aliqua re-
prehensione malitia, nec ita male ibi est, sicuti esset, si esset sine rectore, 15
aut in ordinis aut in rerum destructione: non tamen possetis conqueri quasi
ibi inutiliter viveretis, ubi tantum malum et corporale et spirituale, ne locum
praedictum destrueret, comprimeretis. Quanto magis nunc se vestra consolari 18
potest prudentia, cum sint aliqui sub illa, qui eius consilio et gubernatione
uti desiderant et voluntaria subiectione illi oboediunt?

Est et aliud unde in tribulatione vestra debetis gaudere, quia non est 21
dubium vos illam bono zelo et amore dei habere et timore dei, cuius con-
sideratione illam fugere non audetis, sustinere. Certe ubi tot rationes sunt
consolationis et spiritualis laetitiae, non magnum pondus habere debet ama- 24
ritudo tristitiae. Quippe non solum considerat deus, quantum studium alicuius
in aliis proficiat, sed etiam aut forsitan magis, quantum laborem in intentione
proficiendi et dolore, quia non proficit secundum intentionem, sustineat. 27
Nostrum enim est laborare et seminare, dei vero est incrementum et effectum
dare. Quod nostrum est, quamvis illo adiuvante sit, nobis retribuit; quod
autem suum est, sibi attribuit. 30

Quod si haec mens vestra non vult aut non valet suscipere, non
prohibeo, si per episcopum vestrum et per eos, ad quos res haec pertinet,
deo disponente ad desiderium vestrum ordinate potestis pertingere. Valete. 33

28-29 dare] Cf. 1 Cor. 3, 6 s.

12 maior *D* 14 exerceri libere *MD* 22 et amore *om. V* 29 illo] ipso
FMD sit] fiat *MD* 31 mens nostra *MD* 32 haec res *MD* 33 Valete
om. MD

valere. et timore dei cui adoratione. illam fugere
non audent sustinere. Quid ubi tot rationes sunt sololan-
ous et spualis leticie: non magnum potius habere debet
amantido trahere. Quippe non solum considerat deus
quanti studium alienum in alius proficiat. si etiam aut fortis
magis. quantum labore intentione proficiendi. et dolere
quod non proficit secundum intentionem subneat. Item cum sit
laborare et seminare: dei vero est incrementum et effectum da-
re. Quod mirum est. quantum illo adiuuante sit: nobis recte
ut. quod autem suum est: sibi attribuit. Quod si hoc mensur-
tia non uult aut non ualeat suscipere: non potest deo respon-
dente. et per eos ad quos res. hoc pertinet deo respondente
adpendentium uirum ordinare potestis. ptingere. val-

Alleluia uocatus archieps. cantuari.
reuerendo episcopo ambianensi germino salutem. hanc
ille normannus ecclesie nostre professus. quod abbas. elem-
et michi mandauit. et cum ordinationem meam assensum pre-
re suadens. me et fratres ecclesie nostre ignoratione transiit
adit. ut neciter eius nec causis teneris eius agnosceremus
Quapropter nec uos ut iuris uirum inuicem. cum sine in-
dissent. ordinare debeatis. nec ego in hoc assensum pro-
deo nec prebere debeo: in quantum intelligere quicquid
uenient ad me et ad ecclesiam suam scire monachum qui
tante de ecclesia sua potestatem uenire debet. et per aliquos
de eo in deprecata relocationis fuerit: respondere uide-
tendum. quod respondere intelligam. Valere.

Alleluia uocatus archieps. frater et filio Ricardo mona-

qui monachus fuerit integritudine uouisti et iurasti apud sanctum
egredere. et recto modo dimouisti et nimis sollicitus es de uoto
illo soluendo. ita ut quiescere non possit cor tuum apud sanctum egri-
tui interit. De qua re non tam debet credere tibi. quantum abbati tuo
cui saluo et a diuinatione animam tuam dimisti. et alius qui
melius te sciuit quod magis placat deo. et magis pro arume-
tus. Quapropter saluo tibi et spero. ut omnino dimittis interio-
ne precati teneris et sollicitudine uoti illius. in proposito quod
assumpsisti quiete et immolabis penitentiam. ad penitentiam pro
hoc quod proposuisti id est ad obedientiam. ad penitentiam pro
peccatis tuis. et ad alios bonos mores proficere studias. Et
tunc enim esse debes quod cum te ipsum deo totum uouisti et reddi-
disti penitentiam professionem: soluis omnia memora uota
quod uouisti et actionem. que post sine iure mandando et fidei. al-
ligatione penitentia. Quid ergo quiesce et securus et ego te ea
auctoritate quam per gratiam dei habeo super te. a uoto illo absol-
uere. **V. A. l. e. t. e.**

Alleluia uocatus archieps. frater et filio Ricardo mona-
nachus cisterciensis mulletino salutem. Quibus me ca-
tem uiscerum qualem me suis carminibus tua predicat
benivolentia: non tam inquit et debeo. quam hoc facit dilecti-
adomus abundantia. Sepe enim solet dilectus dilecti uita ali-
no stare aut leuia iudicare: bona uero que non sunt opina-
ri. et que se aggrauare. Quod quoniam sola facit caritas: nec
error est suscipiendus pro affectu amoris. nec amor est cor-
uobis pro culpam erroris. Se sic debet amor: inquit ut et
res corrigat: sic error debet expelli ut amor: reuertatur
Gaude tibi ago quod me talem diligas et quale me precas. tibi

187.

Ad GERVINUM episcopum Ambianensem.

Eum non debere ordinare abbatem fratrem Normannum, ecclesiae suae professum, scribit.

ANSELMUS, vocatus archiepiscopus Cantuariæ: reverendo episcopo Ambianorum GERVINO salutem.

3 Fratr ille Normannus, ecclesiae nostrae professus, quem abbatem
electum esse mihi mandastis et cuius ordinationi me assensum praebe-
detis: me et fratribus ecclesiae nostrae ignorantibus trans mare abiit, ut nec
6 iter eius nec causam itineris eius agnosceremus. Quapropter nec vos, ut lit-
teris vestris intimatis, eum sine nostro assensu ordinare debetis, nec ego in
hoc assensum praebeo nec praebeere debeo, in quantum intelligere queo. Si
9 ipse venerit ad me et ad ecclesiam suam, sicuti monachus, qui taliter de ec-
clesia sua discessit, venire debet, et postea aliquis de eo mihi de praefata
re locutus fuerit: respondebo inde, secundum quod respondere me debere
12 intelligam. Valete.

188.

Ad RICARDUM monachum.

Monachum, qui prius se ad S. Egidium iturum esse voverat, ne inquietus sit monet, cum in monachica professione omnia minora vota solvantur.

ANSELMUS, gratia dei archiepiscopus: fratri et filio, RICARDO monacho, salutem et benedictionem.

3 Audiui, frater mi, quia antequam monachus fieres, in aegritudine vovisti te iturum ad Sanctum Egidium, et idcirco modo timidus et nimis solli-

Ad Ep. 187: 2 GERV.] Episcopus Ambianensis (= Amiens) a. 1091-1102.

Ad Ep. 188: 4 ad S. Eg.] Tolosae, ubi corpus eius in maxima veneratione fuit.

Ep. 187 (prius III, 32) coll. cum LPEV 7 ordinate P 9 qui taliter] qualiter P 11 me debere om. V **Ep. 188 (prius III, 33)** coll. cum LPEVFM 1 gratia dei om. M filio] carissimo add. M RIC.] .R. FM 2 et benedictionem om. FM

citus es de voto illo solvendo, ita ut quiescere non possit cor tuum, nisi ad Sanctum Egidium iveris. 6

De qua re non tantum debes credere tibi quantum abbati tuo, cuius consilio et ordinationi animam tuam commisisti, et alius qui melius te sciunt quid magis placeat deo et magis prosit animae tuae. Quapropter consulo ⁹ tibi et praecipio ut, omnino dimittens intentionem praefati itineris et sollicitudinem voti illius, in proposito quod assumpsisti quietus et immobilis permanear, et in quiete ad hoc quod proposuisti, id est ad oboedientiam, ad ¹² paenitentiam pro peccatis tuis et ad alios bonos mores, proficere studeas. Certus enim esse debes quia, cum te ipsum deo totum vovisti et reddidisti per monachicam professionem, solvisti omnia minora vota quarumlibet actionum, ¹⁵ quae prius sine iureiurando et fidei alligatione promisisti. Esto ergo quietus et securus, et ego te ea auctoritate, quam per gratiam dei habeo super te, a voto illo absolvo. Vale. 18

189.

Ad WILLELMUM monachum Cestrensem.

Laude qua in carminibus WILLELMI praedicatur, se non dignum esse affirmat. Pro carmine prosam, pro laude exhortationem se reddere velle scribit.

ANSELMUS, gratia dei archiepiscopus: fratri et filio carissimo, monacho Cestrensi WILLELMO, salutem.

Quamvis me talem nesciam qualem me suis carminibus tua praedicat ³ benevolentia, non tamen ingratus esse debeo, quoniam hoc facit dilectionis abundantia. Saepe enim solet dilector dilecti vitia aut non sentire aut leviter iudicare, bona vero quae non sunt opinari, et quae sunt exaggerare. Quod ⁶ quando sola facit caritas, nec error est suscipiendus propter affectum amoris, nec amor est contemnendus propter culpam erroris. Sed sic debet amor

17 super te] RICARDUS videtur fuisse monachus Cantuariensis. Ad Ep. 189:
2 Cestrensi] Ex monasterio Cestrensi (= Chester) S. Werburgae (cf. Ep. 231), fundato a. 1093 ab ANSELMO et comite Cestrensi HUGONE.

5 de] lacuna in P 17 super te per gratiam dei FM 18 absolvo] assolvite
(ras.) V Vale] Valet V; om. M Ep. 189 (prius III, 34) coll. cum
LPEV

9 nutriri, ut error corrigatur; sic error debet expelli, ut amor retineatur. Gra-
tias tibi ago quia me talem diligis esse qualem me praedicas; et hortor ne
me talem opineris, sed potius ores ut me talem deus faciat, qualem esse
12 me diligis et existimas. Cum enim scriptum sit: »ne laudes hominem in
vita sua«; et ¹³alibi: »orate pro invicem ut salvemini«, non debet homo
hominem in hac vita magno conatu laudare, sed magis ut laudabilis fiat pio
15 affectu orare, laudem vero deo committere, cui proprium est merita iudicare.
Non dico bonorum virorum virtutes ad exemplum bene vivendi aliis non
esse monstrandas, sed eisdem ipsis non esse exaggerandas.

18 Quoniam autem opus caritatis non debet esse sine retributione: pro
carminibus prosam, pro laude reddo exhortationem. Certe, fili mi, cum in
me amas et laudas bona quae in me opinaris esse, ipso tuo opere testaris
21 quia amabilis et laudabilis est omnis qui studet bonus esse. Cum ergo omnes
velimus non dico laudari, sed amabiles et laudabiles esse, nihil tantum stu-
dere debemus, quam ut boni in conspectu eius, qui non fallitur, iudicemur
24 esse. Bonus autem quisque fidelis ab eo iudicatur, qui in suo ordine per-
fectionem attingere conatur. Nam etsi omnes ad perfectionis summam pariter
pervenire non possimus, non tamen erimus extra numerum bonorum, sicut
27 scriptum est: »imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes
scribentur«, si ad eandem perfectionem incessanter et fortiter conari velimus.
Conentur igitur laici in suo ordine, clerici in suo, monachi in suo viriliter
30 semper proficere, ut illi qui superioris propositi sunt, eos qui inferioris sunt,
humilitate – in qua quantum homo magis proficit, tanto magis sublimatur –
et aliis virtutibus excellere.

33 Quapropter, fili carissime, semper memor esto cuius propositi gradum
ascenderis, nec umquam tibi vitae tuae sanctitas sufficiat, nisi ea illos qui
inferiorum graduum sunt transcenderis. Sicut enim illi qui inferioris propositi
36 sunt, laudabiliter ad virtutes superioris ascendunt: ita illi qui maiora sectari
proposuerunt, vituperabiles sunt, si ad aequalitatem minora eligentium de-
scendunt. Quoniam ergo monachum te habitu profiteris: hortor, precor, con-
39 sulo, ut semper in conspectu dei intus studeas esse quod foris in conspectu
hominum videris. Non autem sic loquor, quasi hoc non facias, sed ut semper
ad meliora paterna exhortatione succensus proficias. Vale.

12-13 sua] Cf. Eccli. 11, 30 (Vulg.: ante mortem ne laudes hominem quemquam).

13 salvemini] Iac. 5, 16. 27-28 scribentur] Ps. 138, 16.

10 tibi] igitur P 11 ut me] me om. V 28 conati P

190.

Ad OSMUNDUM episcopum Serisberiensem.

Eum precatur, ut per totum suum episcopatum pro rege in periculo versante preces fieri iubeat.

ANSELMUS, gratia dei archiepiscopus: reverendo episcopo Serberien-
si OSMUNDO salutem praesentem et aeternam.

Quamvis caritatem vestram sciam non indigere prece, ut domini nostri³
regis memor sit apud deum et alios ad hoc ipsum commoneat: isto tamen
tempore oportere existimo, ut hoc instantius faciamus. Est enim nunc in illa
terra, in qua habent vicmos plures, qui eius prudentiae et strenuitati – sicut⁶
solent mali bonis – invident, quamvis hoc dissimulent. Et scitis quia casus
huius saeculi sic saepe improvise accidunt, sicut maris tempestates. Preco^r
igitur reverentiam vestram, quatenus per totum episcopatum vestrum orationes⁹
fieri pro eo moneatis, ut deus eum sua continua protectione custodiat et
omnes actus eius in beneplacito suo prospere dirigat. Prosperitas enim eius
prosperitas nostra est, et adversitas eius adversitas nostra est. Vale. 12

Ad Ep. 190: Scripta esse videtur a. 1095, quo rex in regionibus septentrionalibus (in
Northumbria) versabatur (cf. *Rev. Bénédictine*, 1931, p. 234 s.). 10-11 sua - cu-
stodiat; omnes - dirigat] Formulae ex Liturgia sumptae.

Ep. 190 (s II) coll. cum T 1 ANS.] .A. T 2 OSM.] .O. T 6 vicmos]
sic T

191.

Ad WALTERUM legatum cardinalem episcopum.

Non esse opportunum nunc de causis ecclesiarum colloquium habere scribit, cum rex, cuius assensus opus sit, absit et sibi ipsi a Cantuaria elongari propter expectatum hostium impetum non liceat.

Domino et reverendo Romanae ecclesiae legato et cardinali episcopo
WALTERO: ANSELMUS, vocatus archiepiscopus Cantuariæ, fideles ora-
3 tiones et fidele servitium.

Quod mandat mihi prudens vestra sollicitudo, ut aliquo in loco con-
veniamus de causis ecclesiarum dei fraterno ac caritativo ad invicem consilio
6 acturi et quae corrigenda sunt correcturi: utique secundum intentionem ve-
stram valde laudabile est, et secundum quod expedit valde utile esset, si
congruo tempore fieri posset. Sed vestra prudentia non ignorat quia nos duo
9 nihil efficeremus, nisi regi suggestum esset, ut eius assensu et auxilio ad
effectum perduceretur quod disponderemus. Est et aliud, quia ego a Can-
tuarberia elongari nullatenus audeo, quoniam cotidie expectamus ut hostes
12 de ultra mare in Angliam per illos portus, qui Cantuarberiae vicini sunt,
irruant. Propter quod dominus meus rex ore suo mihi praecepit, antequam
ab illo apud Notingham discederem, et postquam Cantuarberiam redii, mihi
15 mandavit per litteras proprio sigillo signatas, ut Cantuarberiam custodiam et
semper paratus sim ut, quacumque hora nuntium eorum, qui litora maris ob
hoc ipsum custodiunt, audio, undique convocari iubeam equites et pedites,
18 qui accurrentes violentiae hostium obsistant. Et idcirco de Cantuaria exire
non audeo, nisi in illam partem, ex qua hostium expectamus adventum.

Ad Ep. 191: Scripta a. 1095, paulo post d. 10 Iunii, quo ANSELMUS pallium ac-
cepit (cf. *Hist. Nov.* 72 s.; 392). 2 WALT.] Cardinalis episcopus Albanensis
(cf. Ep. sequentem), qui legatus apostolicus ANSELMO pallium tulerat (de hac re cf.
Hist. Nov. 68 ss.; 389 ss.). 14 apud Notingham] Rex in partes septentrionales
ad pacandam seditionem (cf. Ep. praecedentem) ANSELMO eum usque Northampton
comitante profectus est (cf. E. A. FREEMANN, *The reign of William Rufus*, t. II
[1882], p. 44). 19 adventum] Ex Normannia.

Ep. 191 (prius III, 35) coll. cum LPEV 17 audio] audiero V

Precor igitur sanctitatis vestrae discretionem, quatenus aequo et pacato animo suscipiat has nostras rationabiles et quae infirmari nequeunt, quoniam 21 verae sunt, excusationes. Sciat pro certo vestra reverentia quia eundem animum quem habetis, ut corrigantur quae corrigenda sunt, habeo. Sed exspecto reditum domini mei regis et episcoporum et principum qui cum eo sunt, 24 quatenus illi quae agenda sunt opportune et rationabiliter suggeramus, et sic deo adiuvante eius assensu et auxilio efficacius expleamus quod desideramus. Si tamen vobis placet, ut per dilectissimum fratrem nostrum, reverendum 27 abbatem G., mihi consilium vestrum mandetis, de quibus rebus et quomodo cum rege loqui debeam, hoc libenter suscipio. Sed et si regi monendo consulere aliquid de huiusmodi rebus per eundem abbatem et reverendum epi- 30 scopum Wentoniae prudentiae vestrae placuerit, laudo et postulo. Valete.

192.

Ad eundem.

Repetit excusationem in litteris praecedentibus factam et defendit se cum ab aliis tum praesertim a calumnia quod schismati faveat.

Domino et reverendo episcopo Albanensi et cardinali WALTERO: Cantuariensis divina dispositione archiepiscopus ANSELMUS orationum fidelitatem cum servitio. 3

Litteris a vestra sanctitate mihi directis, si liceret, plenius quam epistolaris brevitatis patiatur, responderem. Pro temporis tamen opportunitate ad summam sensus illarum breviter, quod ad me attinet, respondeo. 6

Dicitis quia oportuerat nos loqui simul de vinea domini quae in hoc regno destruitur, ne penitus confunderetur, quoadusque sanctus PETRUS

Ad Ep. 192: Scripta brevi tempore post Ep. praecedentem. 7-9 de vinea domini - visitaret eam] Cf. Ps. 79, 9-15.

21 nostras] vestras E 28 G.] sic LP (lacuna) om. E (lacuna) .N. V 31
Vale L (ex Valete corr.) EPV Ep. 192 (prius III, 36) coll. cum
LPEVFM 1 WALT.] .W. F 2 A. Cant. arch. M divina dispositione
om. FM ANS.] .A. FM 2-3 orationum^m -[servitio] salutem FM 5 pati-
tur FM 6 attinet] pertinet FM 8 PETR.] .p. M

9 apostolus per vicarium suum URBANUM summum pontificem visitaret eam.
 Hoc utique ego ipse voluissem, si congruo tempore factum esset, id est
 quando dominus meus rex et episcopi et principes huius regni vobis prae-
 12 sentes aut propinqui erant. Postquam vero licentiam accepistis a rege redeundi
 Romam, et rex in expeditionem suam cum archiepiscopo Eboracensi et
 quibusdam aliis episcopis et principibus suis ivit, et vos ab illis et ego a
 15 vobis ita discessimus, veluti non nos in hac terra amplius invicem visuri; et
 postquam rex mihi praecepit, ut illam partem regni sui, in qua maxime ir-
 ruptionem hostium cotidie timemus, diligenter custodirem et cotidie paratus
 18 essem hostibus resistere, si irruerent, sicut in periculo vastandi vel perdendi
 terram, cum nullo modo auderem me elongare ab urbe in qua eram, nisi
 versus hostes qui timebantur: tunc monitus ut vobis occurrerem, quatenus
 21 colloqueremur de iis quae corrigenda sunt in hoc regno, rationabilem et
 susceptibilem reddidi causam: quia propter praedictum periculum et prae-
 ceptum regis venire non poteram, et nihil efficeremus nos duo absente rege
 24 et aliis, quorum assensu et consilio et operatione ad effectum duci posset
 colloquium nostrum. Ego enim ipse video quae corrigenda sunt, et habeo
 voluntatem, quam nullus homo mihi potest augere, corrigendi deo adiuvante
 27 per assensum et auxilium domini mei regis et aliorum ad quos pertinet, cum
 locus et opportunitas erit.

Quod autem conquerimini vos moratos esse velut infructuosam arborem
 30 et peregrinum, non habentem adiutorium aut consilium: de aliis vos scitis,
 de me autem ego scio quia non prohibui vos fructificare, neque meum auxi-
 lium aut consilium vobis pro ratione et possibilitate mea denegavi tempore
 33 fructificandi. Quod vero quaeritis a me, cur et qua iustitia episcopi alii me
 abnegantes a me discesserunt, nec sunt reversi dignam agentes paenitentiam:
 hoc potius ab illis quaerendum erat quam a me. Ego enim nescio me fe-
 36 cisse, cur hoc facere deberent. Reversi tamen hactenus sunt, ut illam oboe-
 dientiam, quam Cantuariensi sedi promiserant, se mihi servaturos faterentur.

13 in expedit. suam] Cf. Ep. 190 et 191.
 29 arborem] Cf. Iob 24, 20.

22 reddidi causam] Cf. Ep. praecedentem.

9 URB] .U. FM summum pontificem om. FM 11 dominus meus om. FM
 12 a rege accepistis M 15 invicem om. M 18 sicuti FM 20 versus] adversus M
 21 de his VM 26 nullus om. P 27 domini mei om. FM
 28 erit] paragr. in FM 29 conquerimini P 33 fructificandi] paragr. MF
 me alii M 35 me enim nescio M 37 faterentur] paragr. FM

Dicitis quosdam illorum vobis dixisse ideo non offendisse in me, quia permisi me a catholica ecclesia transferri ad scismaticos et ab illis consecrari ³⁹ – si fieri, sicut additis, potest – et a scismatico rege investituram accepisse et illi fidelitatem et hominum fecisse, quos omnes sciebam esse scismaticos et divisos ab ecclesia Christi et a capite meo URBANO pontifice, quem ⁴² ipsi me audiente abnegabant. Certe nec sciebam nec scio eos scismaticos aut sic divisos ab ecclesia fuisse, ut dicunt. Et si aliquis eorum qui hoc vobis dicunt me praesente hoc diceret, ostenderem rationabiliter non ita esse. ⁴⁵ Illi enim non abnegabant canonicum Romanum pontificem, quicumque esset, nec URBANUM negabant esse pontificem; sed dubitabant propter illam quae mundo nata est dissensionem, et propter dubitationem illum suscipere ⁴⁸ quasi certum differebant, nec ullum iudicium eos ab ecclesia segregaverat, et omnino oboedientiam Romanae sedis tenere se fatebantur, et sub professione oboedientiae Romani pontificis me consecraverunt. Denique dominus ⁵¹ papa sciebat me esse consecratum et a quibus, et cui regi feceram quod feci; et tamen pallium quod archiepiscopus Cantuariæ solet habere, mihi per vestram caritatem, non ut scismatico sed ut accepto, non ut reprobans ⁵⁴ sed ut approbans misit, et sic quod de me factum erat confirmavit. Ipse huius confirmationis auctor; et domnus WALTERUS, episcopus Albanensis et cardinalis, haec eadem sciens, minister eius et exsecutor. Si vobis haec ⁵⁷ calumnia attendenda videtur: cur eam ante pallii concessionem mihi tacuistis? Si negligenda putatur: vos iudicate quam diligenter sit a vobis inculcanda. ⁶⁰

Plura possem adhuc dicere ad infirmandum verbum »malitiae« eorum, qui hoc quod dicitis vobis obtinent »ad excusandas excusationes in peccatis«; sed sapientiam vestram scio non indigere apertae rei multiplici ostensione. Videat igitur prudens simplicitas et simplex prudentia vestra, qualiter super haec quae dixi suscipere et exaggerare debeat confictas calumnias et calumniosas confictiones adversum me ab illis, qui fecerunt contra me pro ⁶⁶

61-63 in peccatis] Cf. Ps. 140, 4.

41 sciebam *P* 42 URB.] .U. *FM* 43 me ipsi *P* abnegabant] denegabant *M*
nec sciebam] nec *om. FM* 44-45 vobis hoc *F* hoc diceret] hoc *om. M* 46 Ro-
manam *P* 47 URB.] .U. *FM* 48 mondo (*corr. ex mundo*) *V* nata] nota
FM dissensionem *P* 50 se tenere *M* 51 Romani] .R. *M* 55 de me
quod *M* 56 Walterius *LPE* episcopus *om. M* 59 tacuistis?] *om. E* 61
Plura] Pulchra *P* 63 indigere] egere *M* 66 confectiones *F*

excusatione sua, ne videamini velle infirmare quod auctoritate domini papae
et vestra executione non ignoranter est confirmatum. Nempe non sic accepi
69 teste regno Angliae nomen domini URBANI papae in vanum, ut hoc me
ab illo vel a fidelibus eius meruisse cognoscam.

Dicitis vos causam meam teste deo defendisse quantum potuistis, et ea
72 occasione negotium propter quod venistis impeditum usque nunc. Pro bona
quidem voluntate defensionis gratias ago, impedimentum autem hac occasione
factum vobis utique nescio. Et si rei medulla diligenter consideratur sicut
75 potest, et prudentia vestra me defendit quantum potest: certus sum quia
conscientia vestra in iis quae supra dicta sunt accusare me non potest.
Quod, sicut dicit, nec mecum nec cum aliis loqui, sicut voluit, potuit vestra
78 reverentia carens oboedientia Romanae ecclesiae: sciat ipsa cur non potuit;
ego autem scio me diu et multum desiderasse et exspectasse loqui vobiscum,
antequam possem; et cum tandem potui, non tantum potuisse quantum volui.

81 Rogatis me ut fratres nostros Cantuariensis ecclesiae quiete ac pacifice
possidere dimittam res suas. Ad quod respondeo quia nullus magis desiderat
quietem ac pacem illorum quam ego, nec magis sollicitus est pro utilitate
84 eiusdem ecclesiae; et idcirco voluntas mea est, ut res eius deo annuente
disponam ad utilitatem praesentem et futuram, prout melius sciam et potero.
Valeat beatitudo vestra, et dignetur deum, ut me et omnes actiones meas
87 dirigat, orare.

68 est confirmatum] confirmatum est *F* confectum est (!) *M* 69 URB.] .U. *FM*
70 cognoscam] *paragr. FM* 71 defendisse teste deo *M* 76 in his *VM* 78
Rom.] .R. *M* 80 volui] *paragr. FM* 81 eccles. Cant. *FM* 86-87 Valeat
- orare] Valete *F*; om. *M*

193.

Ad URBANUM papam.

Gratias agit pro legatis apostolicae sedis missis et pro pallio porrecto. – Excusat se quod sanctam sedem nondum visitaverit. – Petit eius orationes et auxilium pro se in anxietatibus posito. – Pro FULCONE episcopo Belvacensi supplicat.

Reverendo ac reverenter suscipiendo catholicae ecclesiae summo pontifici URBANO: ANSELMUS, non suis meritis sed nutu divino Cantuariæ vocatus metropolitanus episcopus, debitam subiectionem cum servitii devotione. 3

Gratias ago sanctae munificentiae vestrae quod dignos apostolicae sedis legatos ad nos direxistis, quod pallii beneficium sola gratiae vestrae largitate mihi porrigi praecepistis. 6

Nostri quippe, fateor, ordinis et officii intererat et praesentiam vestram ex more visitare, et eam, ut fieri decet, condigna reverentia honorare. Et id quidem, ex quo gradum episcopalem suscepi, summo desiderio facere concupivi, cum quia ratio id fieri postulabat, tum quia consilio et alloquio vestro frui desiderabam, ut me de rebus necessariis tam publicis quam privatis interrogantem vestra prudentia doceret et auctoritas roboraret. Quod 12 me non egisse, rogo ne aegre ferat sancta eminentia vestra nec meae negligentiae aut arrogantiae ascribat. Testis enim mihi est conscientia mea quia, postquam in cacumine sanctae ecclesiae sublimatos vos esse cognovi, gavisus 15 sum et reverenter dilexi et diligo, et cotidianum profectum vestrum fieri optavi et opto, et factum audiens exsulto. Sed quia bellis undique quatimur, hostiles impetus indesinenter et insidias adversantium metuimus, dominus noster 18 rex extra regnum me procedere hactenus non permisit, nec adhuc procedere posse ullatenus assentit. Praeterea, si nullae aliae causae concurrerent quae me faciem vestram hoc tempore, quod valde moleste fero, videre prohiberent: 21 sufficit quod aetas, quod aegritudo, quod debilitas corporis mei impatientem me agunt et prolixi itineris et immensae viarum asperitatis. Sed inter haec quo labore quaque anxietate gravatus, iter arripere conarer, si omnipotens 24 deus et in regno Anglorum bella sedaret et in regnis et regnorum provin-

Ad Ep. 193: Scripta altero dimidio a. 1095, post Ep. 191 et 192.

Ep. 193 (prius III, 37) coll. cum LEV 7 intererat] inteat E 10 cum] tum corr.
ex cum V 13 ferat om. V 16 profectum] provectum V 24 quo] quoqueE

ciis, per quas ad vos est eundum, illam pacem tribueret, ut quemadmodum
 27 oporteret et expediret, iter ipsum explere liceret. Sed quamdiu id fieri non
 potest, quamdiu impossibilitas me retinet: divina clementia iuvante, ubicumque
 fuero, vobis oboedire ac servire et celsitudinem vestram honorare paratus
 30 ero. Et quia, sicut desidero, cotidianas miseriae meae querelas non licet
 mihi coram posito effundere in conspectu vestro, sanctas serenitatis vestrae
 aures paucis questibus a scriptis inquietare praesumo.

33 Sancte pater, doleo me esse quod sum, doleo me non esse quod fui.
 Doleo me esse episcopum, quia peccatis meis facientibus non ago episcopi
 officium. In loco humili aliquid agere videbar; in sublimi positus prae grandi
 36 onere pressus, nec mihi fructum facio nec utilis alicui existo. Oneri quidem
 succumbo, quia virium, virtutum, industriae, scientiae tanto officio competen-
 tium inopiam plus quam credibile videatur patior. Curam importabilem cupio
 39 fugere, pondus relinquere; deum e contrario timeo offendere. Timor dei
 illud me suscipere compulit, timor idem onus idem me retinere compellit.
 Si inter haec voluntatem dei agnoscerem, procul dubio voluntatem meam
 42 et actus meos pro possibilitate ad illam conferrem. Nunc quia voluntas dei
 me latet et quid agam nescio, errabundus suspiro et quem rei finem impo-
 nere debeam ignoro. Postulo itaque sanctam clementiam et clementem sancti-
 45 tatem vestram, ut propter deum, propter eam caritatem qua ecclesiam dei
 contenditis adiuvere, penuriam consilii nostri vestrarum manu sanctarum ora-
 tionum pascatis, ne cogitationum talium fluctibus agitatus aut omnino ruam
 48 aut nihil apprehendam. Rogo et submissis mentis genibus humiliter
 supplico celsam et piam paternitatem vestram, ut in naufragio positus, si
 quando procellis irruentibus adiutorii vestri indigens ad sinum matris eccle-
 51 siae confugero: propter eum qui sanguinem suum dedit pro nobis, pium et
 promptum adiutorium et solamen inveniam in vobis.

Pro domno Belvacensi FULCONE supplex oro clementiam vestram,
 54 prout vestra iudicabit prudentia. In munusculo nostro magnitudo vestra rogo
 ne solam penset quantitatem, sed et bonam qua missum est voluntatem.
 Omnipotens deus diu nobis paternitatem vestram in gratia sua et pace custo-
 57 diat. Amen.

53 FULC.] De eo cf. Ep. 126; 127; 160.

36 onore LE 40 onus idem] idem eras. E 53 FULC.] F (cum lacuna) L
 episcopo a posteriori manu add. E

194.

Ad WALTERUM legatum cardinalem episcopum.

Romam revertentem rogat, ut se et munusculum suum papae commendat.

Domino et reverendo Romanae ecclesiae legato, cardinali episcopo
WALTERO: ANSELMUS, vocatus metropolitanus Cantuariæ episcopus,
fidelium orationum cum servitio devotionem. 3

Quoniam de vestrae sanctitatis caritate confido, precor ut domino
nostro papae fidelitatem nostram et dilectionem cum reverentia, quas illius
celsitudini in corde servo, sicut vobis loquendo ostendi, benigne monstretis, 6
et laborem mentis meae sub archiepiscopatus onere, sicut vobis conquerendo
confessus sum, pia compassione intimetis. Quatenus paterna eius pietas, filii
et servi sui gemitibus compatiens, aliquando in conspectu domini nostri 9
IESU Christi et beati PETRI apostoli mei memor esse dignetur, et si
quando ad illum in anxietatibus meis refugero, pietatis eius viscera mihi non
claudantur. 12

Munusculum nostrum illi pro possibilitate nostra missum rogo, ut sic
vestra commendetur benignitate, ut plus placeat vestra commendatione quam
sua quantitate. Valeat sanctitas vestra, et omnipotens deus mittat vobis an- 15
gelum suum bonum, qui comitetur vobiscum, et bene disponat iter vestrum.
Rogo, ora pro me.

Ad Ep. 194: Missa una cum Ep. superiore. 15-16 disponat] Cf. Tob. 5, 27.

Ep. 194 (prius IV, 115) coll. cum LPE

195.

Ad OSMUNDUM episcopum Serisberiensem.

Ei praecipit, ut abbatem Cerneliensem male moratum in viam deducat, et praesertim ut ei vetet ire aut mittere monachos suos in Ierusalem. Item orat, ut in ceteris monasteriis prohibeat monachos ire in Ierusalem et ut episcopis vicinis mandet, ut idem suis monachis interdicant.

ANSELMUS, gratia dei archiepiscopus : reverendo episcopo OSMUNDO salutem.

3 De abbate Cerneliensi multa mala dicuntur, inter quae sunt haec :
quia monachos suos hortatur ire in Hierusalem — et iam misit unum nutritum
adolescentem —; et quia res ecclesiae male detrahit et oppignorat; et quia
6 velut levis iuvenis vagatur per domos et ludit alea, etiam cum mulieribus,
et per villas uno solo comite, ita ut opprobrio et derisioni sit populo. In-
super praeparat se ire in Hierosolymam, et iam cum sociis suis emit ad
9 hoc navem, et iam dedit triginta solidos. Sunt et alia quae de illo dicuntur,
quae pudet dicere.

Mando igitur ex parte regis ipso iubente et ex nostra sanctitati vestrae,
12 quatenus haec diligenter, sicut ad vos pertinet, inquiratis, et sicut expedit
corrigatis; et ita rem ordinatis, ut illi non liceat res ecclesiae dissipare, et
si qua ornamenta sunt extra ecclesiam missa, ad ecclesiam reportentur; et
15 illi non liceat ita inordinate vagari aut mittere monachos suos aut ire in
Hierosolymam, immo in confusionem et damnationem; et si qua alia co-
gnoveritis corrigenda et coercenda, sic tractate, ut securi sitis, ne ipse et
18 monachi eius et ecclesia eius cum rebus suis per illum eant in perditionem,
donec rex redeat et de his quid faciendum sit per illum ordinetur.

Mandate etiam per omnia monasteria vestrae diocesis, ut nullus mo-
21 nachus hoc iter Hierosolymitanum praesumat arripere, et sub obtentu ana-

Ad Ep. 195: Scripta a. 1095, ut videtur: Rex absens; ut puto, in Northumbria.
3 Cerneliensi] Utrum agatur de abbate HAIMONE, qui in concilio Lundoniensi a. 1102
habito causa simoniae depositus est (cf. *Hist. Nov.* 142; 438), aut de eius praedecessore,
non patet.

Ep. 195 (s IV) coll. cum T 1 ANS.] .A. T OSM.] .O. T 3 Cernel.]
cerneliensi T 20 monasteria corr. ex ministeria T

thematicis prohibete. Precor etiam, quatenus episcopo de Execestre et episcopo de Bathon et episcopo de Wigracestre ex parte regis et nostra mandetis, ut hoc ipsum prohibeant per suas dioceses, quia et apostolicus²⁴ hoc prohibet. Vale.

196.

Ad RICHARDUM monachum Beccensem.

Eum hortatur, ut suo et abbatis sui praecepto oboediens indiscretas corporis abstinentias temperet.

ANSELMUS, gratia dei archiepiscopus: fratri et filio carissimo RICARDO, monacho Beccensi, salutem et benedictionem dei.

Cum scias quia multum te diligo, non deberes totiens tibi datum³ consilium et praeceptum meum contemnere, et contemnendo me et abbatem cui te commisi contristare. Totiens enim te monui et consului et praecepi tibi, ut indiscretas abstinentias et vexationes corporis tui secundum ordina-⁶ tionem praefati abbatis temperares, totiens promisisti quia in hac re meae et illius voluntati penitus oboedires, et adhuc pertinaciter tuae propriae voluntati adhaeres. Timeo ne, dum vis habere praemium seu potius famam⁹ aut inanem intra cor tuum gloriam abstinentis, incurras potius poenam inoboedientis. Certe, sicut maiorem coronam meretur simplex oboedientia quam praeter communem usum escarum abstinentia, ita gravius ille punitur¹² a quo illa contemnitur, quam a quo ista deseritur. Sine huiusmodi enim abstinentia potest oboedientia hominem salvare; sine oboedientia vero talis abstinentia non valet nisi damnare. Acquiesce igitur, acquiesce, et totum¹⁵ te praelati tui dispositioni committe, si mihi vis oboedire, si mihi vis placere, si dilectionem meam erga te vis servare, si tuam erga me vis probare, si me deinceps non vis contristare, et abbatem sub quo es et fratres inter quos¹⁸ vivis tua indiscretione gravare. Nimis enim patet quia corpus tuum et natura tua tolerare nequit, quod indiscretio tua praesumit. Omnipotens dominus deducat te in via sua et in veritate sua. 21

Ad Ep. 196: 4-5 abbatem, cui te commisi] RICARDUS igitur in alio monasterio moratur. 20-21 sua] Cf. Ps. 85, 11.

Ep. 196 (prius IV, 109) coll. cum LPEFM 1 gratia dei om. M filio et fratri M 1-2 RIC.] .R. FM 2 sal. et bened. dei om. M 5 contristare P 10 aut] et M 16 si mihi¹ - placere om. M 19 tua] tuam M 20-21 Omnipotens - sua] Vale F; om. M

197.

Ad Lambertum abbatem.

Eum precatur, ut monachum profugum paenitentem benigne recipiat.

ANSELMUS, dei dispositione vocatus archiepiscopus Cantuariæ: domino et fratri in deo dilecto, abbati LAMBERTO, misericordiam impendendo temporalem, misericordiam mereri sempiternam.

Frater iste comedens de ligno »scientiæ boni et mali« experimento didicit, quanta sit differentia inter delicias paradisi claustralis et exilium vitæ saecularis. Paenitens igitur et dolens, sicut lacrimæ testantur, confitetur se nimis peccasse, et promittens se deinceps mores suos correcturum et secundum vestram dispositionem oboedienter victurum: orat quanto affectu potest, ut intra ovile, de quo sponte miserabiliter aufugit, admittatur. Et quia supplicationem suam pro magnitudine reatus sufficere non putat, nostris precibus suas apud vestram clementiam adiuvari precatur. Quamvis igitur ego de vestra sanctitate nihil promeruerim, tamen, quia invicem compati et pro invicem orare iubemur, praesumo supplicare quatenus ovi, quam Christus quaesitam et inventam in humeris suis ad ovile reportat, vestra paternitas ostium ovilis contra non claudat. Ne Christus idem perditam quaerendo et inventam reportando frustra laborasse videatur, et ipse apud amicos et vicinos, quos ad congaudendum convocare debuerat, non tam ovem quam se ipsum et – quod valde attendendum est – oneratum et a suo ovili exclusum esse conqueratur. Itaque misericordiam et iudicium cantate domino, et sic ut misericordia superexaltet iudicio. Valete.

Ad Ep. 197: 2 LAMB.] Forsitan abbas de S. Bertino in Normannia, amicus ANSELMi (cf. Ep. 421). Similem intercessionem vide in Ep. 105. 13 pro invicem orare] Cf. lac. 5, 16. 13-14 reportat] Cf. Luc. 15, 4 ss.; *Regula* s. BENEDICTI, c. 27 (ed. BUTLER lin. 21-27). 19 domino] Cf. Ps. 100, 1. 20 iudicio] Cf. lac. 2, 13; *Regula*, c. 64, lin. 26-27.

Ep. 197 (prius III, 38) coll. cum LPEVFM 1 dei dispositione om. FM
Cantuariæ om. M 2 in deo dilecto om. FM LAMB.] Laberto V .L. LPEFM
3 tempor.] corporalem P 5 quanta] quanto P 8 dispositionem vestram M 11
clementiam vestram M 15 idem Christus M 18 et a suo] et om. M ovile
V 20 Valete om. M

198.

Ad DOMNALDUM, DONATUM ac ceteros episcopos Hiberniae.

Coepiscopus orat, ut pro se interpellant ad deum, cum iis ferme omnibus, quorum consensu unanimi ad gradum pontificalem provectus sit, nunc odiosus existat. - Eosdem admonet, ut in provinciis suis munere viriliter fungantur, et ut causas, quas ipsi definire non valeant, ad se proferant.

ANSELMUS, Cantuariensis ecclesiae metropolitanus antistes: reverendis coepiscopis, seniori DOMNALDO, DONATO ac caeteris in Hiberniae insula pontificali eminentibus dignitate, a deo patre et IESU Christo, filio eius ³ unico, salutem et perpetuae haereditatis benedictionem.

O odorem religionis vestrae plurimis indiciiis agnoscens, calamitates quas patior decrevi potissimum vobis aperire, ut quanto vicinius assistitis creatori, ⁶ tanto familiarius angustias meas in eius conspectu valeatis indicare, et indicantes compassionis gemitibus ipsius misericordiam mihi impetrare.

Defuncto beatae memoriae praedecessore meo LANFRANCO archie- ⁹ piscopo, cum in Normannia Beccensis monasterii abbas extitsem, unde et praefatus antecessor meus ad regendam ecclesiam, cui deo auctore praesideo, ante me praecesserat, occulto dei iudicio pro utilitatibus ecclesiasticis in ¹² Angliam veni. Quo venientem tam rex quam pontifices regnique optimates ad cathedram pontificalem non vocando, non rogando, ut fieri assolet, immo violenter rapiendo pertrahunt, clero et populo acclamantibus in id ipsum, ut ¹⁵ nec unus, cui quod gerebatur displiceret, visus fuerit interesse. Denique cum adhuc id nolle nec assentire me debere occlamarem, quod de potestate Normanni ducis, quod de subiectione metropolitani Rotomagensis ipsis igno- ¹⁸ rantibus ereptus essem: quorum iure effugere enitebar, eorundem, praefati

Ad Ep. 198: Scripta a. 1094-1095; ut videtur, intra inducias cum rege a. 1095, a mense Februario ad mensem Iunium. ² seniori DOMNALDO] Ut reor, archiepiscopus Cashelianensis (+ a. 1098; cf. Ep. 201); 'senior' dicitur fortasse ad eum discernendum ab alio D., puta D. Armaghensi laico (in mss. SENIORI, ut pro nomine proprio, scribitur; mendose, ut credo). DON.] Episcopus Dublinensis a. 1085 - d. 23. Novembris a. 1095; olim monachus Cantuariensis.

Ep. 198 (prius IV, 116) coll. cum LPE ² SENIORI sic cum litt. maiusc. L

videlicet ducis et archiepiscopi, praecepto onus officii coactus et oboediens
 21 accepi. Quo pacto in gradum pontificalem sublimatus idcirco assensi, quia
 contraire non potui.

Proinde infulatus sedule quid Christo, quid eius ecclesiae pro loco,
 24 pro officio deberem cogitare coepi, et pastoralis regimine vitia resecare, prae-
 sumptores coercere, et quaeque inordinata, ut mea intererat, ad ordinem
 debitum volui revocare. Qua causa quos adiutores me oportuerat habere
 27 in causa dei, terribiliter offensos patior; et quae per me crescere debuerat,
 me praesente deperit causa dei. Unde, reverendi patres, – gemebunde vobis
 loquens fateor – invenerunt me amarissimae tribulationes, dum et quietem
 30 fructuosam me reminiscor perdidisse et infructuosum periculum me considero
 incurrisse. Ita etenim peccatis meis facientibus actum est ut, qui nostrae se
 sponte subdiderant ditioni, a nostra sponte resiliant ditione; et qui illis
 33 amabilis exstiteram, omnibus ferme odiosus existam. Quapropter, venerandi
 fratres, filii caritatis aeternae, obsecro vos in nomine eius, qui suos inimicos
 redemit sanguine suo, orate ut omnibus deus pacem nobis tribuat, inimicos
 36 nostros in gratiam convertat, et secundum suam voluntatem nos vivere faciat.

Praeterea, quamquam recte viventem recteque sapientem, pastoralis solli-
 citudine fraternitatem vestram monere compellor, quatenus viriliter ac vigi-
 39 lantius agat in doctrina dei, canonica severitate, si quid contra ecclesiasticam
 doctrinam in provinciis suis inventum fuerit, compescens et secundum dei
 voluntatem cuncta disponens. Si quando vero seu in consecrationibus epi-
 42 scoporum, seu in ecclesiasticorum negotiorum causis, seu quibuslibet aliis
 rationibus aliquid quod ad sacram religionem pertineat, inter vos ortum
 fuerit, quod per vos canonice nequeat definiri: caritatis officio id ad no-
 45 titiam nostram proferri commonemus, quatenus a nobis potius consilium et
 solatium accipiat, quam praevaricatores mandatorum dei in iudicium eius
 incidatis.

48 Iterum, carissimi rogamus vos, orate pro nobis, erigite nos de tribu-
 lationibus nostris manu vestrae orationis, piis fletibus pulsantes aures cle-
 mentiae dei. Dominus qui iussit »de tenebris lucem splendescere«, mentibus
 51 vestris infundat lucem sapientiae suae, ut quae iubet intelligatis, intelligentes
 opere compleatis.

50 splendescere] Cf. 2 Cor. 4, 6.

32 ditione] detione *P* 35 orare *P*

199.

Ad monachos Beccenses.

Collaudat eos, quod etiam in paupertatis pressura rigorem ordinis teneant, et hortatur, ut praelato suo sine iudicio oboediant.

Dominis et fratribus carissimis in Beccensi coenobio commanentibus: frater ANSELMUS, voluntate Beccensis monachus, necessitate vocatus Cantuariensis archiepiscopus, praesentis vitae continuam sanctitatem et futurae 3 aeternam felicitatem.

Quamvis nostram raro epistolam videatis, scio tamen quia dilectionem vestram in intimis cordis mei fervere non dubitatis. De qua dilectione tanto 6 esse certiores debetis, quanto eam de praeterito cognoscitis, et hoc, propter quod et ad quod vos dilexi, facere contenditis. Audio enim quia gratia dei inspirante et cooperante in studio bene vivendi fervetis et in paupertatis 9 pressura rigorem vestri ordinis inflexibiliter tenetis. Sic etenim decet servos dei, ut, quanto magis eos tribulationes praesentis vitae angustant, tanto ardentius ad quietem aeternae vitae tendant et se ad virtutum profectum 12 extendant. Sed quamvis sanctis moribus et religiosis operibus studio spontaneo insudetis, novi tamen sinceritatem vestrae dilectionis, quia gratanter accipiet, si vos monuero, ut in hoc in quo estis perseveretis. 15

Quod ut efficacius adimplere valeatis, necesse est ut sancta unanimitate colligati concordi voluntate praelato vestro oboediatis, facta et dicta eius non diiudicetis, sed sine omni retractatione quasi »divinitus inspirata« 18 venerando mente benigna servetis. Ubi enim subditi praelati iudices fiunt, aperte dei ordinationi, cuius dispositione sibi praelatus est, detrahunt et contradicunt. Quibus deus et suae gubernationis subtrahit auxilium, et eos 21 in proprii erroris praecipitari permittit consilium. Ubi vero praelatus cum veneratione tamquam Christus suscipitur, ibi tota domus Christi regitur con-

Ad Ep. 199: 23 suscipitur] Cf. *Regulam* s. BENEDICTI, c. 53, lin. 2: hospites tamquam Christus suscipiantur. 18 divin. inspirata] 2 Tim. 3, 16.

Ep. 199 (prius III, 39) coll. cum *LPEVFM* 1 fratribus] suis add. *M* 7 certiores esse *M* 11 praes. vitae tribul. *M* 16-17 unamitate *F* 17 colligati] congregati *M* 18 retractione *F* 19 fiunt iudices praelati *M* 21 deus et] et deus *M* 23 tamquam] quasi *M*

²⁴ silio et protegitur et sustentatur auxilio. Quanto enim subditi se vicario eius subiciunt securius, tanto ille praelato et subditis cuncta procurat benignius. Omnipotens deus sua vos benedictione in aeternum beatificet, fratres et amici ²⁷ carissimi. Amen.

200.

A MAURITIO episcopo Lundoniensi.

Ei significat se non contradicere, quin in sua diocesi episcopos ordinet neve quid aliud faciat.

Domino suo ac spirituali patri ANSELMO, Cantuariorum archiepiscopo: MAURITIUS, Lundoniensis ecclesiae vicarius, debitam subiectionem.

Paternitati vestrae notifico quod vobis non contradico quicquam de hoc, quod facere debetis in parochia nostra, nec de ordinationibus episcoporum nec de alio aliquo. Valete.

Ad Ep. 200: Scripta videtur ante d. 8. (vel 15.) Iunii a. 1096 (cf. infra). 5-6 de ordinationibus episcoporum] Primum Lundini ANSELMUS consecravit episcopum SAMSONEM Wigornensem (= Worcester; + a. 1112) et GERARDUM Herefordensem (transl. Eboracum a. 1101; + a. 1108) d. 8. (vel 15.) Iunii a. 1096 (cf. *Hist. Nov.* 74; 393 s.).

24 et protegitur om. M 25 securius om. M 26-27 Omnipotens - Amen om. M
26 vos sua P **Ep. 200** (w XI) coll. cum Lw 2 MAURICIUS Lw

201.

A clero et populo Wataferdiae.

Precibus petunt ab eo, ut MALCHUM, quem sibi episcopum eligerunt, consecret.

ANSELMO, dei gratia Anglorum archiepiscopo, et omnibus diocesis suae episcopis: clerus et populus oppidi Wataferdiae cum rege MURCHERTACHO et episcopo DOFNALDO salutem in domino. 3

*P*ater sancte, caecitas ignorantiae nos diu detrimenta salutis nostrae sustinere coegit, quia magis elegimus serviliter dominico iugo colla subtrahere, quam liberaliter pastoralis oboedientiae subesse. Nunc autem quantum proficiat pastorum cura cognoscimus, cum aliarum rerum similitudines ad mentem revocamus: quia sine regimine nec exercitus bellum nec navis marinum audet attentare periculum. Navicula ergo nostra, mundanis dedita fluctibus: sine pastore contra callidum hostem qua ratione pugnabit?

Propterea nos et rex noster MURCHERTACHUS et episcopus DOFNALDUS et DERMETH, dux noster, frater regis, eligimus hunc presbyterum MALCHUM, WALCHELINI, Wentoniensis episcopi, monachum, nobis sufficientissime cognitum, natalibus et moribus nobilem, apostolica et ecclesiastica disciplina imbutum, fide catholicum, »prudentem«, 15 moribus temperatum, vita castum, »sobrium«, humilem, affabilem, miseri-

Ad Ep. 201: Scripta versus finem a. 1096 (cf. *Hist. Nov.* 76 s.; 395 s.). 2-3 MURCH.] Sive MURTHOGH O' BRIAN: rex Hiberniae a. 1086-1119. 3 DOFN.] Cf. ad Ep. 198; D. Cashelianensis fuit metropolitanus ecclesiae Waterfordensis. 10 contra callidum hostem] Cf. Gen. 3, 1. 13 MALCH.] Episcopus Waterfordensis (+ a. 1110), ab ANSELMO d. 28. Decembris a. 1096 consecratus est (cf. *Hist. Nov.* 77; 396). WALCH.] A. 1070-1098. 11-15 Propterea - fide catholicum] Cf. LANFRANCI Ep. XXXVI (*PL* 150, 534), ubi similem formulam cum iisdem ad partem verbis invenies. 15 prudentem] Cf. 1 Tim. 3, 2. 16 sobrium] Ibidem.

Ep. 201 (prius III, 165) coll. cum LErg 1-2 et omnibus d. s. episcopis om. rg 2 Merchertacho g 3 Domnallo LE 5 eligimus LE 7 cura] causa LE cognoscimus] agnovimus g 9 attentare] tentare LE 12 Donallus LE Derved LE 13 Walcelini LE Walkelini g Wintoniensis LE Wintonensis g 15 catholica g

cordem, litteratum, in lege dei instructum, in scripturarum sensibus cautum,
 18 »hospitalem«, »suae domui bene praepositum«, »non neophytum«, habentem »testimonium bonum« in gradibus singulis. Hunc nobis petimus a vestra paternitate ordinari pontificem, quatenus regulariter nobis praeesse
 21 valeat et prodesse, et nos sub eius regimine salubriter domino militare possimus.

Ut autem omnium nostrorum vota in hanc electionem convenire non
 24 scatis, huic decreto canonico promptissima voluntate singuli manibus propriis roborantes subscripsimus.

Ego MURCHERTACHUS, rex Hiberniae, subscripsi. Ego DER-
 27 METH dux, frater regis, subscripsi. Ego DOFNALDUS episcopus subscripsi. Ego IDUNAN, episcopus Midiae, subscripsi. Ego SAMUEL, Dublinensis episcopus, subscripsi. Ego FERDOMNACHUS, Laginiensium episcopus,
 30 scopus, subscripsi.

202.

A WALCELINO episcopo Wintoniensi.

Is item precatur archiepiscopum, ut suum monachum MALCHUM, cuius electioni assentiverit, quam citius pontificem consecret.

Domno et patri ANSELMO, gratia dei Cantuariensium archiepiscopo: WALCELINUS, Wintoniensis episcopus, salutem.

3 Rex Hiberniae cum episcopis et clero et populo illius patriae hunc meum monachum, MALCHUM nomine, Hiberniensem quidem genere, ad pontificatus officium elegerunt constituendum in Waterferda, quadam eorum

18 hospitalem] Ibidem. suae domui bene praepositum] Cf. ibidem, 4. non neophytum] Ibidem, 6. 18-19 hab. testim. bonum] Ibidem, 7. 21 domino militare] Cf. 2 Tim. 2, 4; cf. Regula s. BENEDICTI, prolog. (lin. 7-8). 28 Midiae] = Meath. SAM.] Nepos praedecessoris sui DONATI (cf. Ep. 278), ex monacho S. Albani episcopus Dublinensis a. 1096-1121; consecratus ab ANSELMO d. 20. Aprilis a. 1096 (cf. Hist. Nov. 74; 393 s.). 29 Lagin.] = Kildare-Leighlin. Ad Ep. 202: Scripta item versus finem a. 1096 (cf. Ep. praecedentem).

17 in lege - cautum om. rg 19-20 a vestra paternitate om. LE 21 militare] puncto posito deficiunt LE 28-29 Dublinensis] Durnelmensis g 29 Ferdumnachus g Ep. 202 (w X) coll. cum Lw 2 WALC.] sic correxi; WILLELMUS Lw nobiscum Lw; correxi

civitate. Suam etiam inde ad me legationem miserunt, ut et eorum electioni 6
consentirem et vobiscum consecrandum dirigerem. Ego autem cum consilio
domni GODEFRIDI, nostrae ecclesiae prioris, et aliorum seniorum ac fra-
trum nostrorum assensum dedi eorum petitioni, sciens eundem fratrem bonis 9
moribus ornatum, litteris admodum eruditum, prudentem, humilem, deum
timentem, scientia catholicum et in religione devotum. Quapropter eum
direxi vestrae paternitati, ut in eo et de eo quod vestri est, secundum or- 12
dinem ecclesiasticum perficiatis. Rogo vero, ut nostri amoris gratia et hu-
manius eum, quia noster est monachus, tractetis, et quia illius homines
patriae apud Brigestou reditum eius praestolantur cum navibus, ordinationem 15
illius acceleretis. Valete.

203.

Ad priorem et monachos S. Albani.

*Eos laudat quod etiam in rebus adversis servant monachicum ordinem; ut
ad meliora proficiant hortatur; afflictos consolatur.*

ANSELMUS, gratia dei archiepiscopus: fratribus et filiis carissimis,
domno priori et aliis servis dei in monasterio Sancti Albani manentibus,
salutem et benedictionem. 3

Gratias ago deo a quo est omne bonum, et vobis qui servatis eius
donum, quia de vobis audio omne bonum. Memores enim vos esse monstra-
tis quia » oportet nos per multas tribulationes introire in regnum dei«, et 6
quia tentatio probat et tentat iustum si diligat deum, cum nulla vos adver-
sitas a custodia vestri ordinis prohibere potest. Sic enim exspectare secure

Ad Ep. 203: Scripta a. 1094-1097. 2 priori] Abbatia vacans erat a. 1093-1097
(abbas PAULUS obiit d. 11. Novembris a. 1093; abbas RICHARDUS ab anno 1097).
4 bonum] Cf. Iac. 1, 17. 6 dei] Act. 14, 21 (Vulg.: per mult. trib. oportet nos
ntrare).

Ep. 203 (prius III, 54) coll. cum LPEVCFM 1 gratia dei arch. om. FM
carissimis om. M 2 domno - dei om. FM 3 salut. et bened. om. M 5 de
vobis] vobis om. P 6 nos] vos corr. ex nos V per multas t. i. in r. dei M
89- secure pot. exspectare M

⁹ potestis praemium, de quo dicitur: » Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae «.

Quanto ergo vos studiosius ad servandum monachicum ordinem insistere cognosco, tanto securius vos paterna monitione exhortor, quatenus in bono proposito et in hoc ad quod vos deus provexit, perseveretis, et semper ad meliora in spe divini auxilii proficere et numquam deficere tentetis. ¹⁵ Quod efficaciter poteritis efficere, si nulla minima vestri ordinis volueritis contemnere, quoniam » qui modica spernit, paulatim decedit «.

Deus videt quid vobis expediat. » Si moram fecerit « vos consolandi: ¹⁸ » expectate eum, quia « » non tardabit «. Ipse enim est » adiutor in opportunitatibus, in tribulatione «. Omnipotens deus corda vestra in servitio suo corroborare dignetur et consolari. Oro, orate pro me.

204.

Ad eosdem.

Solvit quaestionem, cur in scriptis patrum aliquando inveniatur deum et hominem in Christo in unam convenire substantiam, aliquando vero duas substantias, divinam scil. et humanam esse unam personam in Christo, explicando diversum usum nominum personae et substantiae apud Latinos et Graecos.

ANSELMUS, dei gratia archiepiscopus: domino priori BERNARDO et aliis fratribus in coenobio Sancti Albani conversantibus salutem et benedictionem.

9-10 vitae] lac. 1, 12. 16 decedit] Eccl. 19, 1 (Vulg.: spernit modica; decidet). 17-18 tardabit] Cf. Hab. 2, 3 (Vulg.: exspecta illum). 18-19 in tribulatione] Ps. 9, 10. **Ad Ep. 204:** Scripta a. 1094-1097. - Ad rem cf. *Monologion*, prologum (Vol. 1, p. 8, 14-18); Ep. 83, 12-20.

9-10 Beatus vir qui s. t., q. c. p. f. a. c. v. FM 10 vitae] quam r. d. d. s. add. M 11 servandum] conservandum C 12 vos om. M 15 nulla] vel add. M 16 qui m. s. p. d. M 17 consolandi vos M 18 quia n. t. M est enim F 18-19 adiutor (a. F) in o. in t. FM 19-20 Omnipotens - pro me om. M 20 et consolari - pro me om. F **Ep. 204 (prius IV, 104)** coll. cum D; cod. Parisino lat. 17400, s. XII (= Y); et in fine cum g 2 aliis fratribus] ceteris servis dei D

Fratres a vestra dilectione ad me directi retulerunt mihi quandam dubitationem inter vos ortam esse cum aliqua dissensione, inde quia in catholicorum patrum scriptis aliquando invenitis deum et hominem in Christo convenire in unam substantiam; aliquando duas substantias, divinam scilicet et humanam, unam esse personam in Christo. Videtur enim repugnare quod et una substantia sit humana et divina natura, sicuti est una persona, et duae substantiae sint in eadem persona.

Sed si bene intelligatur quomodo dicant unam esse substantiam plures naturas in Christo, aut plures substantias unam personam, nihil ibi repugnans cognoscetur esse. Deum enim unum credimus et confitemur esse patrem et filium et spiritum sanctum. Cum ergo dicimus deum, non nisi unum dicimus et intelligimus. Cum vero dicimus patrem et filium et spiritum sanctum, plures dicimus et credimus. Sed de deo habemus auctoritatem quia debemus dicere deum unum singulariter et non plures, quemadmodum scriptum est: » Audi, Israel, dominus deus tuus deus unus est«. De illis vero tribus, patre scilicet, filio et spiritu sancto, non invenimus in propheta aut apostolo aut evangelista, ut uno nomine nomenclarent eos pluraliter, quo significant illam pluralitatem quam in illis intelligimus. Nusquam enim dicunt tres personas eos esse aut tres substantias aut tres omnipotentes aut aliquid huiusmodi.

Hac necessitate patres catholici, quando loquebantur de illis tribus, elegerunt nomina quibus illos tres nominare possent pluraliter; Graeci quidem nomen substantiae, Latini vero nomen personae; sed ut omnino quod nos ibi intelligimus per personam, hoc ipsi et non aliud intelligant per substantiam. Sicut ergo nos dicimus in deo unam substantiam esse tres personas, ita illi dicunt unam personam esse tres substantias, nihil a nobis diverse intelligentes aut credentes. Quoniam enim non habeant nomina quibus proprie illos tres significarent, ut iam dixi, ut Graeci dicerent esse tres substantias, nos vero tres personas, dederunt in deo duobus nominibus illam significationem, quam in illis pluribus intelligebant nec suo nomine proferre poterant. Sicut igitur nos dicimus quia alia est persona patris, alia filii, alia spiritus

16-17 unus est] Deut. 6, 4 (Vulg.: tuus] noster; deus unus] dominus unus). 33 alia est - spiritus sancti] Ex symbolo s. ATHANASII.

4 ad me a vestra dil. D 8 repugnare om. D 9 sit substantia D est] esse Y 11 intelligitur D substantiam esse D 12 substantias] et add. D 13 esse cognoscetur D 14 ergo] enim D 14-15 intell. et dicimus D 16 Quia Y 17 scriptum] dictum D 18 scilicet om. D 21 Nunquam D 23 huiusmodi] hic finit D

sancti; et in eo quidem quod alius est filius dei a patre, non est alius a filio virginis, sed idem ipse; id est alia persona est a patre, et non alia a
³⁶ filio virginis sed eadam persona: ita Graeci dicunt quia verbum, id est filius dei, alia substantia est a patre, et non alia ab homine assumpto. Quando ergo invenimus in catholicorum patrum scriptis plures naturas esse unam
³⁹ substantiam in Christo, et quando invenimus plures substantias esse unam personam: non eundem sensum in nomine substantiae accipimus. Sed cum dicimus unam substantiam, id ipsum intelligimus quod per nomen personae;
⁴² cum vero dicimus plures esse substantias in eo personam unam, hoc significamus per nomen substantiae quod per nomen naturae. Hac igitur consideratione, qua una est fides Graecorum et Latinorum, aliquando nominant personam substantiam, quamvis hoc raro Latini faciant. Quod autem Graeci dicant in domino unam personam, tres substantias, testatur beatus AUGUSTINUS in libro *De trinitate*.
⁴⁸ Haec vobis, fratres, petentibus, secundum quod intellexi quaestionem inter vos versari, sufficienter puto me respondisse; quamvis dici possint plura de trinitate et pluralitate, quomodo verbum unum sit cum patre et non
⁵¹ unus, et cum homine assumpto unus et non unum. Valet.

205.

Ad WILLELMUM abbatem et monachos Beccenses.

Omnes fratres, etiam quos nondum novit, dilectionis suae certiores facit, et ut ad meliora proficiant hortatur.

Dominis et fratribus carissimis et desideratissimis, domno abbati WILLELMO et sanctae congregationi Beccensi sub illo deo servienti: frater
³ ANSELMUS, dictus archiepiscopus, superna semper gratia et benedictione ad bona semper dirigi et a malis defendi.

Si cor meum dilectioni vestrae de vobis plene exponere volo, magna

Ad Ep. 205: Scripta a. 1094-1097 (ANSELMUS nondum cognovit monachos, qui post eius discessum Beccum venerant).

34 filius Y 35 id] idem g 44 qua] quam Y 45 substantiam om. g
Ep. 205 (prius III, 156) coll. cum VC 1-2 WILL.] .G. C

carta non sufficiet; et si breviter dicere propono, nequaquam affectum meum 6
 satiat. Sed in hac dubietate consolatur me vestra conscientia, qua mihi
 conscii estis, quantum semper vos et quam veraciter dilexerim, et quid et
 quantum de vobis desideraverim, et ad quid, quamdiu vobiscum sum conver- 9
 satus, vos proficere studuerim. Et si non omnes hoc experimento, quia deus
 numerum auxit, postquam a vobis discessi, cognoscitis: ab illis qui sciunt et
 experti sunt discite. Hoc itaque nullatenus caritati vestrae sit dubium quia 12
 sicut dilexi radicem, sic et ramos, quantumcunque multiplicentur, diligo, et
 omnes filios matris meae et primogenitos et post me genitos velut fratres
 uterinos in corde meo amplector et amo. Omnes igitur pariter precor et 15
 obsecro, ut mei memoria et dilectio in cordibus eorum, quae eam habuerunt,
 non tepescat, et in mentibus eorum, qui me non noverunt, accendatur et
 perseveret. Quamvis enim corpore sim vobis absens, nidum tamen meum, 18
 ecclesiam dico Becci, cum omnibus pullis suis mecum porto semper in cor-
 de meo, et eam in orationibus meis et in omni bono desiderio meo, si quid
 haec sunt, repraesento deo. De me ergo precetur vos caritatis vestrae since- 21
 ritas et inspiret superna pietas, ut orationum vestrarum pro me non deficiat
 assiduitas.

Quamvis animae vestrae flagrent bono desiderio, quia tamen benevo- 24
 lentes non fastidiunt audire quod amant: precor, obsecro, moneo, consulo,
 quatenus ad meliora semper vos extendatis, et numquam ab iis ad quae
 deus vos provexit deficiatis. Mutua dilectio secundum deum in vobis semper 27
 ferveat, pax et concordia servata veritate in vestris mentibus assidue maneat,
 humilis oboedientia in omnibus actibus vestris deo placeat, studium religio-
 nis et excludendi a vobis omne vitium exardescat. Haec invicem monete, 30
 haec indesinenter tenete. Hoc oro, hoc opto, hoc desidero de vobis, hoc
 ipse a quo est omne bonum, cum sua plena et perpetua benedictione det
 vobis. Amen.

33

18 absens] Cf. Col. 2, 5. 32 bonum] Cf. Iac. 1, 17.

9 ad quid] aliquid V 13 diligo om. V 15 pariter om. V

206.

Ad URBANUM papam.

Impeditus quominus ipse veniat, per litteras papam obsecrat, ut se de episcopatu absolvat, cum in eo propter causas, quas enarrat, sine animae detrimento vitam finire non possit.

Domino et patri cum amore reverendo et cum reverentia amando, summo pontifici URBANO: frater ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariæ, debita subiectionem et orationum devotionem.

Novimus, domine reverende et pater diligende, quod dominus noster IESUS Christus sublimavit sanctitatem vestram in ecclesia sua ad consulendum et subveniendum iis, qui ad supernae patriae requiem anhelantes in huius saeculi exilio diversis fatigantur tribulationibus. Hac igitur spe et consideratione ego humilis servus vester in angustiis cordis mei ad sinum paternae et apostolicae pietatis vestrae per exhibitionem praesentiae meae confingere disposui; sed hoc utique facere non possum, sicut desidero. Cur autem non possim, per praesentium latorem cognoscetis. Quoniam ergo per memetipsum praesentiam vestram secundum desiderium meum adire nequeo, per litteras, ut possum, clementiae vestrae angustias meas insinuo, quatenus eius consolatione eadem angustiae mitigentur, et anima mea desideratam tranquillitatem per affectum vestrae compassionis se adipisci gratuletur. Tanta enim est cordis mei tribulatio, ut nec verbis nec litteris sufficiam illam exprimere; sed oro deum, qui novit occulta, ut eam vos intelligere faciat, et » per viscera misericordiae « suae viscera vestra ad eius miserationem secundum desiderium et necessitatem meam commoveat. De hac tamen mea necessitate et meo desiderio aliqua aperio, per quae vestram prudentiam posse intelligere quid mihi expediat, non dubito.

Notum est multis, mi pie pater, qua violentia et quam invitus et quam contradicens captus sim et detentus ad episcopatum in Anglia, et quomodo

Ad Ep. 206: Scripta Lugduni principio a. 1098 (cf. *Hist. Nov.* 91 ss.; 405 ss.). 11 cognoscetis] Cf. *Hist. Nov.* (91; 405), ubi hae causae ad partem afferuntur. 17 18 suae] Cf. *Luc.* 1, 78.

Ep. 206 (prius III, 166) coll. cum LEr 22 pater pie r

obtenderim repugnantiam ad huiusmodi officium naturae, aetatis, imbecillita- 24
tis et ignorantiae meae, quae omnino omnes saeculi actiones fugiunt et in-
consolabiliter exsecrantur, ut nullatenus illas tolerare possim cum salute ani-
mae meae. In quo archiepiscopatu iam per quatuor annos manens nullum 27
fructum feci, sed immensis et execrabilibus tribulationibus animae meae in-
utiliter vixi, ut cotidie magis desiderarem mori extra Angliam quam ibi
vivere. Nam si ita vitam praesentem, sicuti eram, ibi finirem, plus videbam 30
animae meae damnationem quam salutem. Videbam enim multa mala in
terra illa, quae nec tolerare debebam nec episcopali libertate corrigere pot-
eram. Ipse quoque rex faciebat quaedam quae facienda non videbantur de 33
ecclesiis, quas post obitum praelatorum aliter quam oporteret tractabat. Me
etiam et ecclesiam Cantuariensem multis modis gravabat. Terras namque ip-
sius ecclesiae, quas post mortem archiepiscopi LANFRANCI, cum in ma- 36
nu sua archiepiscopatum teneret, militibus suis dederat, mihi, sicut eas idem
archiepiscopus tenuerat, non reddebat, sed insuper alias secundum libitum
suum me nolente dabat. Servitia gravia et antecessoribus meis inusitata, ul- 39
tra quam ferre possem aut pati deberem, a me exigebat. Legem autem dei
et canonicas et apostolicas auctoritates voluntariis consuetudinibus obrui vi-
debam. De his omnibus, cum loquebar, nihil efficiebam, et non tam simplex 42
rectitudo quam voluntariae consuetudines obtendebantur.

Sciens igitur quia, si haec ita usque in finem tolerarem, in damnatio-
nem animae meae successoribus meis tam pravam consuetudinem confirmarem, 45
nec de his placitare poteram – nullus enim aut consilium aut auxilium mihi
ad haec audebat dare – : petii a rege licentiam ad eundi vestram paternitatem,
quatenus illi et cordis mei angustias ostenderem, et deinde eius consilio et 48
auxilio quod salubrius esset animae meae agerem. Qua de re iratus petiit,
ut de huius licentiae petitione quasi de gravi offensa illi satisfacerem, et
securum illum facerem me deinceps nullo modo requisitum pro aliqua ne- 51
cessitate apostolicum, nec saltem inde locuturum; aut si umquam hoc fac-
turus eram, in praesenti hoc facerem. Sic itaque mare transivi intentione ad
vos veniendi. Quod, sicut dixi, facere non possum. 54

Quoniam autem impossibile est me huiusmodi vitae concordare aut
animam meam in tali episcopatu salvam, cum propter rerum quas dixi qualita-
tes, tum propter meas multimodas et sensus et morum et naturae et aetatis 57

imbecillitates: haec est summa supplicationis meae, propter quam ad vos ire volebam, ut, sicut deum animae meae et animam meam deo desideratis, per
 60 paternam et apostolicam pietatem, quae cor vestrum inhabitat, animam meam de vinculo tantae servitutis absolvatis, eique libertatem serviendi deo in tranquillitate reddatis, »ne abundantiore tristitia«, sicut iam nimis passa est,
 63 »absorbeatur«, et de dolore temporali ad aeternum pertrahatur; deinde ut ecclesiae Anglorum secundum prudentiam et auctoritatem apostolatus vestri consulatis. Omnipotens dominus vestram sanctitatem nobis in suae gratiae
 66 prosperitate diu servet incolumem et conterat satanam et portas inferi sub pedibus vestris. Amen.

207.

A MALCHO episcopo Waterferdensi.

Orat eum, ut sibi et omnibus librum de sancta trinitate mittat, et ut componat dictamine sermonem de incarnatione domini, quem in festivitate s. MARTINI apud se habuit.

Domino, patri ANSELMO, archiepiscopo Dorobernensi: MALCHUS Waterferdensis episcopus, perpetuam remunerationem beneficiorum in nos et
 3 *in omnes.*

Carissime pater, partim fuimus tristes, partim laeti de discessione vestra. Laeti quidem, quia habuimus exemplum discendae patientiae qua-
 6 *cumque tribulatione ingruente; tristes vero, quia vos intervalla locorum in longinquum separaverunt, qui volumus esse propinqui vobis frequentia literarum, licet absentes personae.*

9 *Multum ego vos rogo, ut mittatis mihi et omnibus Hiberniensibus clericis illum librum a vobis compositum de sancta trinitate et commendatum*

62-63 absorbeatur] Cf. 2, 7 (cf. *Regul.* c. 27, lin. 9) 66 portae inferi] Cf. Matth. 16, 18. **Ad Ep. 207:** Scripta tempore exilii, post d. 11. Nov. a. 1097, quo ANSELMUS ad S. Audomarum (= St. Omer) sermonem de incarnatione habuit (cf. ea quae de hac re in *Theol. Revue*, 34 [1935], col. 223 diximus); forsitan etiam post concilium Barensense mense Octobri a. 1098 habitum. I MALCH.] De eo cf. Ep. 201 et 202. 10 de s. trinitate] De *Epistola de incarnatione verbi* res est, ex qua URBANUS II. papa in concilio Barensi legit (cf. *Hist. Nov.* 104 ss.; 414 ss.).

Ep. 207 (w XIII) coll. cum Lw I Domino] Dmo (sic) L Domno w

apostolica auctoritate, sicut nuper audiui. Rogavi idem vos, ut componeretis dictamine illum sermonem incarnationis domini nostri IESU Christi, quem 12 vos narrastis nobis in festivitate beati MARTINI ad prandium, quando dimisistis epulas carnales, ut pasceretis nos spiritualibus escis. Valeat sanctitas vestra.

15

208.

Ad HUGONEM archidiaconum Cantuariensem.

Narrat quanto honore in exilio suo ab omnibus susceptus sit, et nunc ab archiepiscopo Lugdunensi. – Quid de se futurum sit, incertum esse scribit. – Salutare iubet alterum archidiaconum et tres abbatissas cum monialibus. – EDMERUS coexul salutes adiungit.

ANSELMUS, gratia dei archiepiscopus Cantuariensis, quamvis exsul: vero et dilecto amico HUGONI archidiacono salutem et benedictionem de et suam, si quid valet.

3

Fidelis dei dilectio non dormit neque dormitat, neque ulla saeculi perturbatio aut ullus casus illam fatigat, et semper eius quem diligit praesentiam desiderat. Et quoniam de dilectione tua certus sum: quod absens per 6 meam praesentiam non possum, saltem per litteras quid mihi sit aliquatenus significo.

Dei gratia disponente et orationibus servorum dei, qui in multis locis 9 longe lateque sua gratia propter deum me diligunt, me prosequentibus, ex quo de Anglia – quomodo, deus scit nec obliviscitur – exivi, nullam sensi temporalis rei in his quae necessaria mihi fuerunt indigentiam; nec ullius 12 malevolentia tantum mihi nocere potuit, quantum benevolentia dei me iuvare voluit. Tantam enim gratiam sua pietate mihi deus largitur apud multos,

12 Christi] Agitur de his, de quibus ANSELMUS postea in libro suo *Cur deus homo* tractavit.

13 MARTINI] D. 11. Novembris.

Ad Ep. 208: Scripta Lug-

duni a. 1099; aestate, ut videtur (cf. *Hist. Nov.* 114; 421).

4 dormitat] Cf.

Ps. 120, 4.

Ep. 208 (prius IV, 117) coll. cum cod. *Londin. Mus. Brit. Claud. E. I (= A); cum g (= ed. a. 1721, fol. Eeeee III^o); cum g¹ (= eadem ed. p. 704; a lin. 22 mutila)* 1 inscriptionem *Ad hugonem praemittit A* 6-7 per mei praesentiam *g¹* 11 scit deus *g* 14 sua] suam *g¹*

15 quorum numerum modo nescio, episcopos, abbates, principes et divites huius
 saeculi et minoris ordinis, a mari Barensi usque ad mare Bononiense, ut
 plus timeam multos offendere me absentando quam eos frequentando. Inter
 18 quos venerabilis archiepiscopus Lugdunensis gaudet ad praesens se suam mihi
 munificentiam copiose et honorifice exhibere, et desiderat me semper secum,
 quamdiu exsul ero ab ecclesia nostra, manere. Quod non tam deus meis
 21 meritis facit quam suae bonitatis abundantia. Quid autem de me futurum
 sit, vel quid factururus sim, nulla certitudine tibi possum scribere, sed divinae
 benignitatis me committo penitus dispositioni.

24 Tibi autem de te nihil melius ad praesens possum consulere quam,
 ubi nunc es, ibi studeas deo servire, donec deus aliter te et vitam tuam
 velit ordinare sub gratia sua.

27 Saluta domnum WILLELMUM archidiaconum ut dilectum nostrum.
 Saluta dilectissimas filias nostras abbatissas cum suis ancillis dei sub illis
 conversantibus, de Sceptesberia, de Wintonia et de Wiltuna, quibus mando
 30 benedictionem dei et nostram quantum possum, et roga eas ut orent pro me.

Hoc unum scito quia spero in deo, et haec est voluntas mea, quia,
 sicut propter timorem et amorem dei et honorem eius et ecclesiae eius
 33 egressus sum de Anglia, ita numquam ingrediar in illam nisi propter et se-
 cundum easdem causas, in quantum intelligere potero.

Huic pauperi precor, ut melius sit ex tua parte propter amorem nostrum,
 36 quoniam per multa pericula et multo labore portat nuntium nostrum. Vale.

*Saluto vos ego frater EDMERUS, coexsul domini et patris nostri ar-
 chiepiscopi, gratias agens deo et illi quia dignus habitus sum huius exsilii
 39 consortio. Rogo etiam ut, quos dominus archiepiscopus salutat ex sua par-
 te, ex nostra parte salutetis.*

16 a mari Barensi] ANSELMUS concilio Barensi mense Octobri a. 1098 habito inter-
 fuit (cf. *Hist. Nov.* 104 ss.; 414 ss.). ad mare Bononiense] = Boulogne-sur-mer.
 29 de Sceptesberia] Abbatissa EULALIA (cf. Ep. 183, 337, 403). de Wintonia]
 Abbatissa ATHELITS (cf. Ep. 237 et 276). de Wiltuna] Abbatissa MATHILDIS
 (cf. Ep. 185). 37 EDM.] Monachus Cantuariensis; secretarius et comes assiduus
 ANSELMI eiusque biographus (cf. *Hist. Novorum*; et *Vita et conversatio Anselmi*
 [ed. M. RULE (1884); *PL* 158, 49 ss.]); postea (ca. a. 1120) episcopus electus S.
 Andreae in Scotia; + a. 1124.

16 et minoris] et om. g' Bonojense g 21 futurum de me A 24 de te] de me g
 27 Guillelmum Ag 28 dei sub illis om. g 29 Sceptesberia g Wiltuna]
 Wintuna g 31 est om. g 34 eandem causam g

209.

Ad B(OSONEM) monachum Beccensem.

Gratias agit de litteris consolatoriis. - Significat se saepius non scribere, ne a rege ecclesia Beccensis aut latores epistolarum detrimentum inde patiantur. - Domnum EDMERUM librum suum Cur deus homo ecclesiae Beccensi transcribere. - Commendat consobrinum suum FOLKERADUM, qui Becci moratur.

Pater filio, frater fratri, dilectissimus dilectissimo, A. B.: quod ille illi.

Gratias ago, sicut ego tibi, pro epistolari visitatione tua, pro consilio, pro consolatione, pro desiderio tuo; et quoniam, quamvis super omnia 3 mundana me desideres, plus tamen pendet cor tuum ad consolationem tribulationis meae quam novisti, quam ad satietatem desiderii tui, quod maius inter ea quae mundi sunt habes. Novit dulcedo dilectionis tuae erga me 6 dulcedinem dilectionis meae erga te, et novit affectus meus erga te affectum tuum erga me. Alter alterius intima ex suis intimis cognoscit, quia vera sinceritas veram sinceritatem intelligit et experimentum certum in neutro du- 9 bitationem oriri permittit. Vera itaque et ex deo nostra dilectio mutua habuit principium; et in hoc non precor ut, in quo hactenus perseveravit, perse- 12 veret, sed in dei spe fiducialiter pronuntio quia perseverabit.

Litteras non tibi saepe secundum desiderium meum et tuum mittere possum, quia, etiam si opportunitatem haberem, scandalum tamen aliqua occasione a rege, qui omnia quae a me sunt et quae me diligunt odit, adversus 15 ecclesiam nostram aut adversus latorem, si quo modo cognosceretur, timerem.

Librum quem ego edidi, cuius titulus est *Cur deus homo*, domnus EDMERUS, carissimus filius meus et baculus senectutis meae, monachus 18

Ad Ep. 209: Scripta eodem fere tempore quo Ep. praecedens (*Cur deus homo* editum; nulla mentio libri *De conceptu virginali*). [B.] Sic mss.; at ex tenore epistolae non potest esse dubium, quin dirigatur ad B(SONEM), ANSELMUM discipulum praedilectum. ANSELMUS non audet scribere nomina ex toto (cf. lin. 14 ss.). 17 *Cur deus homo*] Hoc opus ANSELMUS absolvit aestate a. 1098 (cf. *Vita*, ed. RULE p. 391 s.; *PL* 158, 100). 18 bac. sen. meae] Cf. Tob. 5, 23; 10, 4. EDM.] Aliter (cf. lectiones varias) ERMERUS. Epistola in hac parte difficultatem facit. EDMERUS, qui assidue cum ANSELMO exulante erat, monachus Cantuariensis, non

Ep. 209 (prius III, 25) coll. cum VC 15 odit] et insert. V 18 Ermerus
V baculus] baiolus V

Becci, cui tantum debent amici mei quantum me diligunt, libenter ecclesiae Beccensi ut filius eius transcribit.

21 Quoniam domno abbati ecclesiae nostrae propter praedictam causam scribere nolo: tibi commendo memoriam mei, ut in cordibus eorum, quos sicut animam meam dilexi, ipsis testibus et dum vivam deo dante diligam, 24 frequens tua commonitio veterascere et evanescere eam non permittat.

Audivi quia domnus FOLKERADUS, consobrinus noster, est vobiscum.

Si est, precor vos omnes pro eo sicuti pro carne mea. Nam ipse exsul est 27 propter deum, et olim factus est monachus Becci. Saluta eum et esto illi pro me.

Omnipotens deus animam et corpus tuum benedicat. Saluta quos scis 30 et vis.

210.

Ad PASCHALEM papam.

Exposita ratione, cur post certam notitiam sublimationis eius nuntium mittere moratus sit, totam suam causam ei explicat.

Domino et patri reverendo PASCHALI, summo pontifici: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, debitam ex corde subiectionem et orationum, si quid valent, devotionem.

Quod ad vestram celsitudinem tantum moratus sum nuntium mittere, postquam de certa notitia vestrae sublimationis deo gratias agentes gavisi 6 sumus, haec fuit causa, quia quidam nuntius regis Anglorum venit ad venerabilem archiepiscopum Lugdunensem pro causa nostra, non tamen afferens quod suscipiendum esset, et audiens responsum archiepiscopi reversus est ad

Beccensis fuit. Ex altera parte in catalogo Beccensium nomen ERMERI vel simile non occurrit. Forsitan pro 'Becci' legendum est 'ecclesiae Christi' (eccl. Xi); tunc, ut filius eius significaret: 'velut filius eius' (esset). Sic omnia plana essent. 21 abbati] WILLELMO. 25 FOLK.] De eo cf. Ep. 55 et 111. Ad Ep. 210: Scripta Lugduni exeunte anno 1099 vel ineunte a. 1100. 1 PASCH.] Papa II., d. 14. Augusti a. 1099-1118.

21 propt. causam praedictam (causam in marg.) V
coll. cum LPEV

Ep. 210 (prius III, 40)

regem, promittens se in proximo Lugdunum rediturum. Hunc expectavi, ut 9
scirem quid vobis de regis voluntate notificare possem, sed non venit. Causam
itaque nostram breviter intimo, quia, quando Romae moratus sum, eam do-
mino papae URBANO et multis aliis, sicut scit, ut puto, sanctitas vestra, 12
saepe narravi.

Videbam in Anglia multa mala, quorum ad me pertinebat correctio,
quae nec corrigere nec sine peccato meo tolerare poteram. Exigebat enim 15
a me rex, ut voluntatibus suis, quae contra legem et voluntatem dei erant,
sub nomine rectitudinis assensum praeberem. Nam sine sua iussione aposto-
licum nolebat recipi aut appellari in Anglia, nec ut epistolam ei mitterem 18
aut ab eo missam reciperem vel decretis eius oboedirem. Concilium non
permisit celebrari in regno suo, ex quo rex factus est, iam per tredecim
annos. Terras ecclesiae hominibus suis dabat. In omnibus his et similibus 21
si consilium petebam, omnes de regno eius, etiam suffraganei mei episcopi,
negabant se mihi consilium daturus, nisi secundum voluntatem regis. Haec
et multa alia, quae contra voluntatem et legem dei sunt, videns petii licen- 24
tiam ab eo sedem adeundi apostolicam, ut inde consilium de anima mea et
de officio mihi iniuncto acciperem. Respondit rex me in se peccasse pro
sola postulatione huius licentiae et proposuit mihi, ut aut de hac re sicut 27
de culpa illi satisfacerem et securum illum redderem, ne amplius peterem
hanc licentiam, nec aliquando apostolicum appellarem, aut de terra eius
cito exirem. Elegi potius exire quam nefandae rei consentire. Romam veni, 30
ut scitis, et domino papae rem totam exposui. Rex mox ut de Anglia
exivi, taxato simpliciter victu et vestitu monachorum nostrorum, totum archie-
piscopatum invasit et in proprios usus convertit. Monitus et rogatus a do- 33
mino papa ut hoc corrigeret, contempsit et adhuc in hoc perseverat. Iam
est tertius annus, ex quo sic de Anglia exivi. Pauca quae mecum tuli et
multa quae mutuatus sum, quorum adhuc sum debitor, expendi. Sic plus 36
debens quam habens, apud venerabilem patrem nostrum archiepiscopum
Lugdunensem detentus, eius benigna largitate et larga benignitate sustentor.

Non hoc dico quasi desiderans redire in Angliam; sed timeo ne mihi 39
vestra sublimitas succenseat, si ei nostrum esse non notifico. Precor igitur
et obsecro quanto possum affectu, ut nullo modo me in Angliam redire

14 Videbam] Ad sequentia cf. Ep. 206, ad URBANUM papam.

23 mihi om. V

42 iubeatis, nisi ita ut legem et voluntatem dei et decreta apostolica voluntati
hominis liceat mihi praeferre; et nisi rex mihi terras ecclesiae reddiderit et
quidquid de archiepiscopatu propter hoc, quia sedem apostolicam petii, accepit,
45 vel certe quod pro horum digna recompensatione ecclesiae prosit. Aliter
enim ostenderem me hominem deo debere praeponere, et iuste spoliatum
esse, quia sedem apostolicam volui requirere. Quod satis patet quam noxium
48 exemplum sit posteris et execrabile.

Quaerunt quidam minus intelligentes cur ego regem non excommunico;
sed sapientiores et rectum habentes consilium consulunt ne hoc faciam, quia
51 non pertinet ad me utrumque, et querimoniam scilicet et vindictam facere.
Denique ab amicis nostris, qui sub eodem rege sunt, mandatum mihi est
quia mea excommunicatio, si fieret, ab illo contemneretur et in derisum con-
54 verteretur. Ad haec omnia auctoritatis vestrae prudentia nostro non eget
consilio.

Oramus, ut deus omnipotens faciat omnes actus vestros sibi placere,
57 et ecclesiam suam de vestro regimine et prosperitate diu gaudere. Amen.

211.

Ad BURGUNDIUM eiusque uxorem RICEZAM sororem suam.

Eorum filium, suum nepotem ANSELMUM, secum apud Lugdunum esse nuntiat. – Eis gratulatur, quod filium primogenitum deo obtulerint et alios liberos morte perdiderint, quo liberius soli deo vivere possint.

ANSELMUS archiepiscopus: domino et amico carissimo BURGUNDIO et uxori eius, sorori suae dilectissimae RICEZAE, salutem et benedictionem dei.

Sciatis quia filius vester ANSELMUS, carissimus nepos noster, sanus et laetus est mecum apud Lugdunum, et ego dei gratia prospere me habeo.

Ad Ep. 211: Scripta item Lugduni; ut videtur, in primo exilio, a. 1098-1100. 2 RIC.] Soror unica s. ANSELM. 4 ANS.] Nepos s. ANSELM, postea abbas coenobii Romani S. Sabae; legatus Anglicus; abbas S. Edmundi in Anglia; acerrimus propugnator festi Conceptionis MARIAE (cf. EADMERI *Tract. de Conceptione s. Mariae*, ed. THURSTON et SLATER [1904], p. XXXVI; 53 ss.; 102 ss.).

57 et prosperitate] et om. V

Ep. 211 (prius III, 43) coll. cum LPEV

De filio vestro hoc vobis dico quia gaudere potestis multum, quod illum 6 deo obtulistis. Amat enim deum et quod amare debet. Unde gratias agere debetis illis et eos amare, qui eum in amore dei et sui ordinis et in bonis moribus nutriverunt. 9

Et certe credo quia propter hoc meritum, quod primogenitum vestrum deo devota mente dedistis, noluit deus perdere ullum de prole vestra, nec permisit eos quos genuistis, usque ad illam aetatem, in qua peccatis et malitia huius mundi sordidarentur, pervenire, ut vitam aeternam perderent, sed omnes eos bono fine de hac vita ad se transire fecit. Insuper, si sapientes estis et sapienter consideratis, intelligetis deum fecisse vobis magnam misericordiam de vobis ipsis, quoniam abstulit vobis occasionem amandi hoc saeculum et desiderandi ea quae transeunt, cum vobis abstulit haeredes in hac vita et fecit filios vestros suos haeredes et suos filios in aeterna vita. Nunc 18 agite gratias deo, quia exonerati estis et expediti, ut libere toto corde, tota intentione, totis viribus curratis ad deum et solliciti sitis solummodo de salute animarum vestrarum, et ut illuc spontanea voluntate perveniatis, quo 21 deus filios vestros, qui mortui sunt vobis nolentibus, misericorditer traxit, et quo istum, quem deo dedistis, deo adiuvante perventurum exspectamus, ubi pariter pater et mater, filii et filiae in conspectu dei in gloria aeterna gaudeatis et unusquisque tantum de singulis aliis quantum de se gloriatur. 24

Ergo dilectissimi et amicissimi, frater carissime et soror carissima, precor, obsecro, moneo, consulo ne contemnatis misericordiam, quam deus vobis non praemeditantibus fecit, et ne perdati gloriam quam deus vobis, si culpa vestra non fuerit, praeparavit. Cognoscite, cognoscite, quia quod deus vos ita omnibus filiis orbatos in hac vita solos fecit, non est ira dei sed gratia dei, 30 ut qui iam soli remansistis, nihil habentes quod hic ametis, sine omni impedimento ad illum curratis et ei vos et vestra reddatis. Omnipotens deus sic vos suo amore accendat, ut omnem huius vitae delectationem faciat contemnere et ad se toto affectu tendere et pervenire. Amen. 33

8 debetis] debere *P* 12 peccatis] peccastis *P* 12-13 maliciae *V* 31 hic om. *V*

212.

Ab HENRICO rege Anglorum.

Nuntiato fratrem suum WILLELMUM regem mortuum seque regem novum electum et consecratum esse, archiepiscopum ut quam celerrime in Angliam revertatur, invitat.

HENRICUS, dei gratia rex Anglorum: piissimo patri suo spirituali ANSELMO, Cantuariensi episcopo, salutem et omnis amicitiae exhibitionem.

*Scias, pater carissime, quod frater meus, rex WILLELMUS, mortuus est, et ego, nutu dei a clero et a populo Angliae electus et, quamvis
6 invitatus propter absentiam tui, rex iam consecratus, requiro te sicut patrem cum omni populo Angliae, quatenus mihi, filio tuo, et eidem populo, cuius tibi animarum cura commissa est, quam citius poteris, venias ad consulendum. Me ipsum quidem ac totius regni Angliae populum tuo eorumque
9 consilio, qui tecum mihi consulere debent, committo. Et precor, ne tibi displiceat quod regiam benedictionem absque te suscepi, de quo, si fieri
12 posset, libentius eam acciperem quam de alio aliquo; sed necessitas fuit talis, quia inimici insurgere volebant contra me et populum quem habeo ad gubernandum, et ideo barones mei et idem populus noluerunt amplius
15 eam protelari. Hac itaque occasione a tuis vicariis eam accepi.*

*Missem quidem ad te a meo latere aliquos, per quos tibi etiam de mea pecunia destinassem, sed pro morte fratris mei circa regnum Angliae
18 ita totus orbis concussus est, ut nullatenus ad te salubriter pervenire potuissent. Laudo ergo et mando, ne per Normanniam venias, sed per Witsand. Et ego apud Doveram obviam habebo tibi barones meos et per
21 cuniam ad te recipiendum, et invenies deo iuvante, unde bene persolvere*

Ad Ep. 212: Scripta brevi post d. 5. Augusti a. 1100 (cf. *Hist. Nov.* 118 s.; 423). HENR.] HENRICUS I. Beauclerc regnavit a. 1100-1135. 4-5 mortuus est] D. 2. Augusti (cf. *Hist. Nov.* 116; 422). 6 consecratus] Ab episcopo Lundoniensi MAURITIO (cf. S. ANSELMII *Vita brevior*, PL 158, 126) d. 5. Augusti.

Ep. 212 (prius III, 41) coll. cum LEV 4 Scias] Sciatis; et sic omnia in persona plurali LE 12 acciperem] suscipierem V sed] Sed V 15 Hac] hac V eam] illam V

poteris quidquid mutuo accepisti. Festina igitur, pater, venire, ne mater nostra, Cantuariensis ecclesia, diu fluctuans et desolata, causa tui amplius animarum sustineat detrimenta.

24

Teste GIRARDO episcopo et WILLELMO Wintoniensi electo episcopo et WILLELMO de Warelwast et comite HENRICO et ROBERTO, filio HAIMONIS, et HAIMONE dapifero, et aliis tam episcopis quam 27 baronibus. Vale.

213.

A PASCHALI papa.

Gratulatur ab exilio in Angliam reducto. - Mandat, ut statum ecclesiarum secundum Romanae ecclesiae sanctiones disponat ac census s. PETRI restituat. - Ut IOHANNE et TIBERIO, suis nuntiis, intervenientibus, pacem inter regem et comitem Normannorum ROBERTUM componere studeat.

PASCHALIS episcopus, servus servorum dei: reverentissimo fratri et coepiscopo ANSELMO, Cantuariensium archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

3

Sicut iniuriis tuis et exilio compassi sumus, sic reductioni tuae et honori tuo largiente domino congaudemus. Et tu, frater in Christo reverentissime, quia iniurias et procellas Romanae ecclesiae sicut in praesentia 6 visas plenius nosti, pro eis in portu positus efficacius laborare non negligas. Primo, ut ecclesiarum in regno Anglico statum secundum Romanae ecclesiae sanctiones corrigi ac disponi facias. Dehinc de regis erga nos devo- 9 tione ac fidelitate debita censuque beati PETRI restituendo efficacius studeas. Scis enim quantis inopiae circumvallemur angustiis. Nempe cum pro ecclesiis omnibus Romana laboret ecclesia, quisquis ei sua aufert, non ipsi 12 soli, sed ecclesiis omnibus sacrilegii reus esse dignoscitur.

Significamus praeterea dilectioni tuae Normannorum comitem questum

Ad Ep. 213 (= JAFFÉ-LOEWENFELD n. 5883): Data d. 24. Februarii a. 1101.

25 Wintoniensis LEV (corr.) 27 HAIMONE dapifero] HAIMO dap. LE
Ep. 213 (prius III, 42) coll. cum LPEV 9 sanctiores P 12 ramana L ro-
mana ex ram. corr. E 13 dinoscitur LPV

15 *apud nos esse adversus Anglorum regem, quia et fracto sacramento, quod*
ei pro eodem regno acquirendo fecerat, regnum invaserit. Et nosti quia
eidem comiti debemus auxilium pro laboribus, quos in Asianae ecclesiae
 18 *liberatione laboravit. Idcirco volumus ut, si necdum inter eos pax composita*
est, te satagente, nostris etiam nuntiis intervenientibus, componatur. Pro his
enim omnibus notum tibi et a te quondam educatum tunc filium, nunc
 21 *fratrem et coepiscopum IOHANNEM mittimus, et TIBERIUM, familiarem*
nostrum. Quos petimus in omnibus quae apud vos agenda sunt, tuo con-
silio instrui, tuo auxilio adjuvari. Per quos sacrosancta Romana ecclesia
 24 *tuae religionis et sapientiae efficacius experiatur industriam.*

214.

Ad PASCHALEM papam.

*Consilium petit contra regem, qui institutionem URBANI papae, ne aliquis suscipiat investituram ecclesiae de manu laici neve eius homo fiat, non vult accipere. - Orat papam, ut ecclesiae Cantuariensi legationem Romanam in Anglia antiquitus habitam, quam ipse episcopo Viennensi tradidit, restituat. - De RAN-
 NULFO Flambardo, indigno episcopo Dunelmensi, refert et consilium petit. - Precatur, ut novo archiepiscopo Eboracensi pallium mittat.*

Domino reverendo, patri diligendo PASCHALI, summo pontifici: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, debitam subiectionem et orationum
 3 fidelitatem.

Quoniam de sedis apostolicae auctoritate pendent filiorum ecclesiae
 directiones et consilia, idcirco ad vestrae paternitatis recurro praeceptum et
 6 consilium. Cur autem tantum distuli vestrae celsitudini aliquid scribere, postquam redii in Angliam, per latorem praesentium, si placet, poterit agnoscere.

17-18 laboravit] ROBERTUS, dux Normanniae, primae expeditioni in Terram Sanctam interfuit. 21 IOH.] De eo, qui nunc est cardinalis episcopus Tusculanensis (1093-1112), cf. Ep. 125, 128, 129 (cf. etiam *Hist. Nov.* 96 s.; 408 s.). Ad Ep. 214: Scripta initio fere a. 1101. 7 redii in Angliam] ANSELMUS advenit d. 23. Septembris a. 1100. per latorem praesentium] Scilicet per WILLELMUM Warelwast, ut ex Ep. 219 patebit.

24 industriam] Dat. VI. Kal. Mart. add. cod. *Londin. Br. Mus. Claud. E. I et Add. 32091 Mallet collection* Ep. 214 (prius IV, 2) coll. cum LPEC

Mortuo rege WILLELMO, cuius violentia per triennium exsulavi ab Anglia, cum magno desiderio sum a domino meo rege HENRICO et a principibus eius et ab ecclesia Anglorum revocatus et cum magno gaudio susceptus. Qui postquam intellexerunt institutionem, quam audiui fieri in Romano concilio a venerabilis memoriae praedecessore vestro papa URBANO, ne scilicet aliquis susciperet investituram ecclesiae de manu laici et ne episcopus vel abbas homo eius fieret: sensi et audiui quia nullo modo eam rex et principes eius vellent suscipere. Qua de re necessarium mihi vestrae celsitudinis consilium exspecto.

Quando Romae fui, ostendi praefato domino papae de legatione Romana super regnum Angliae, quam ipsius regni homines asseverant ab antiquis temporibus usque ad nostrum tempus ecclesiam Cantuariensem tenuisse, quam necessarie ita esse oporteat, nec aliter nisi contra utilitatem ecclesiae Romanae et Anglicae fieri possit. Rei autem huius rationes praesentis nuntio ex quadam parte, ut vobis referat, iniunximus. Legationem vero, quam usque ad nostrum tempus secundum praedictum testimonium ecclesia tenuerat, mihi domnus papa non abstulit. Audiui tamen quod, dum eram pro fidelitate sedis apostolicae in exilio, legationem ipsam archiepiscopo Viennensi vestra commendavit auctoritas. Quod quanta difficultate, immo impossibilitate plenum sit, intelligunt ii, qui longum et periculosum interval- lum maris et regnorum, Franciae scilicet et Burgundiae, inter Angliam et Viennam noverunt, ut scilicet archiepiscopus Viennensis Angliam aut Angliam Viennam pro suis causis frequentent. Quapropter supplex oro, servus et filius paternitatis vestrae, ne meo tempore ecclesia, quae mihi compatiendo multa adversa, me pro fidelitate Romanae ecclesiae in paupertate exsulante, sustinuit, privetur ea dignitate, quam ante me in antecessoribus meis se possedis- se a vestra sede pronuntiat.

Quando de Anglia exivi, erat ibi quidam professione sacerdos, non solum publicanus, sed et publicanorum princeps infamissimus, nomine RAN- NULFUS, propter crudelitatem similem flammae comburenti praenomine

11-12 in Rom. concilio] Habito d. 25. Aprilis a. 1099 (cf. *Hist. Nov.* 111 ss.; 418 ss.). 25-26 archiep. Viennensi] WIDONI (1090), postea papae CALIXTO II. (1119-1124); cf. *Hist. Nov.* 126; 428 s. 36-37 RANN.] Consecratus est episcopus Dunelmensis (= Durham) d. 5. Iunii a. 1099; + exul a. 1128.

8 Guillermo C 13 suscipere C 21 Angliae C 27 hii C 34 pronuntiat] *paragraphus in C* 37 pronomine C

FLAMBARDUS. Cuius flamma qualis sit non in Anglia solum, sed in exter-
 39 ris regnis longe lateque innotuit. Hunc rex nuper defunctus contra volunta-
 tem omnium religiosorum, contra omnem iustitiam ad episcopatum sine om-
 ni eius correctione sublimare me exulante praesumpsit. Qualis autem ante
 42 episcopatum vel post episcopatum in simonia et in aliis criminibus extiterit,
 cartae praesentis lator intimare poterit. Talis tamen pontifex, sicut ipse inor-
 dinate est ubi non debuit consecratus, ita extra diocesim suam ecclesias et per-
 45 sonas sua sacratione contaminare non dubitavit. Hunc quando redii in Angliam,
 inveni captum a rege pro pecunia, quam de ministeriis suis velut publica-
 nus debebat, male retenta, ut plena testatur regis curia, populo gaudente
 48 velut de leone circumquaque vastante compresso. De quo, quando captus
 est, in audientia regiae curiae archiepiscopus eius, qui postea defunctus est,
 confessus est se illum non tenere pro fratre vel episcopo, et mentitum sibi
 51 esse omnia quae consecrandus promiserat.

Qui audiens redditum meum, auxilio meo sibi subveniri ut episcopo
 postulavit. Misi itaque ad eum quattuor episcopos cum praesentium portitore,
 54 dicens quia, si vellet se^{er} sic ad episcopatum accessisse ostendere, ut tamquam
 episcopus tractari deberet, facerem ut libertatem hoc faciendi haberet. Ti-
 mebam tamen, fateor, maledictionibus populi quasi lapidibus obrui, qui cru-
 57 delitatem eius cohibitam in libertatem educerem. At episcopi in hoc quod
 per eos quaesivi, eum sibi defecisse retulerunt. Qui postea clam de captio-
 ne fugit in Normanniam, ac inimicis regis domini sui sociatus, dominum pi-
 60 ratarum quos in mare misit, sicut pro certo dicitur, se constituit. De hoc,
 quoniam ecclesia sibi commissa inter barbaros multis periculis exposita diu
 pastore carere nequit, et de ecclesiis et personis quos sacravit, consilii vestri
 63 iussionem postulamus.

Mortuo archiepiscopo Eboracensi, postquam reversus sum, electus est
 in locum eius episcopus Herefordensis, vir admodum litteratus et in eccle-
 66 siasticis disciplinis eruditus. In hac electione nos episcopi clero et populo
 eiusdem ecclesiae assensum praebuimus. Quem valde desiderantem se vestro

49 defunctus est] THOMAS I. archiepiscopus Eboracensis (= York) + d. 18 Novem-
 bris a. 1100. 65 Herefordensis] GERARDUS, episcopus Herefordensis ab a. 1096,
 archiepiscopus Eboracensis a. 1101-1108.

57 educerem] inducerem C quod] quia C 59 in normannia P 62 sacravit]
 consecravit C

praesentare conspectui, ut pallii largitione a vestra benignitate pro consuetudine honoraretur: rex pro quibusdam causis consilio principum suorum retinuit, atque ut illi pallium mittatis, celsitudinem vestram postulando impetrare desiderat. Cuius petitioni largitatem vestram favere, si preces nostras placeat admittere, simpliciter flagitamus.

72

215.

HENRICI regis Anglorum ad PASCHALEM papam.

Mittit beneficium s. PETRI; promittit papae eandem oboedientiam eosdemque honores, quos antecessores eius tempore sui patris habuerint, et vindicat sibi easdem dignitates, quas iste habuerit.

Patri venerando PASCHALI, summo pontifici: HENRICUS, dei gratia rex Anglorum, salutem.

Promotioni vestrae in sedem sanctae Romanae ecclesiae plurimum congaudeo, petens ut amicitia, quae patri meo cum antecessoribus vestris fuit, inter nos quoque illibatā permaneat. Unde, ut dilectio et benignitas a me videatur sumere initium, beneficium quod ab antecessoribus meis beatus PETRUS habuit, vobis mitto, eosque honores et eam oboedientiam, quam tempore patris mei antecessores vestri in regno Angliae habuerunt, tempore meo ut habeatis volo; eo videlicet tenore, ut dignitates, usus et consuetudines, quas pater meus tempore antecessorum vestrorum in regno Angliae habuit, ego tempore vestro in eodem regno meo integra obtineam. Notumque habeat sanctitas vestra quod me vivente deo auxiliante dignitates et usus regni Angliae non minuentur. Et si ego – quod absit! – in tanta me deiectione ponerem, optimates mei, immo totius Angliae populus id nullo modo pateretur. Habita igitur, carissime pater, utiliori deliberatione, ita se erga nos moderetur benignitas vestra, ne – quod invito faciam – a vestra me cogatis recedere oboedientia.

Ad Ep. 215: Videtur missa una cum Ep. praecedente (cf. *Hist. Nov.* 120 s. ; 424).

Ep. 215 (BROMTON IOH. [TWYSDEN I. R.], *Hist. Anglicanae Scriptores* [1652], col. 999 [=1]; LIEBERMANN F., *Quadripartitus* [1892], p. 151 [=1]) coll. cum tl 1 venerando] venerabili t 4 ut] quod t 11 integre t 13-14 in tantum (!) me deiectionem l

216.

PASCHALIS papae ad HENRICUM regem Anglorum.

Non esse regis, sed ecclesiae, per investituram episcopos et abbates constituere, ex sacra scriptura, patribus aliisque auctoribus demonstrat. — Promittit se regi omnia quae postulaverit libenter concessurum, si ab investitura abstinuerit.

PASCHALIS episcopus, servus servorum dei: dilecto filio HENRICO, regi Anglorum, salutem et apostolicam benedictionem.

3 Legationis tuae verba, fili carissime, gratanter excepimus, sed vellemus oboedientiam promittentis. In quibus nimirum sanctae Romanae ecclesiae illa in tuo regno pollicebaris, quae tempore tui patris habuerat, eos requi-
6 rens honores, quos antecessorum nostrorum tempore pater tuus habuerat.

Quae profecto omnia grata in superficie viderentur; interius requisita et legati tui vocibus exposita, gravia et vehementissima paruerunt. Quaere-
9 bas enim, ut tibi episcoporum abbatumque per investituram constituendorum ius et facultas a Romana indulgeretur ecclesiae; et quod per se solum fieri omnipotens dominus perhibet, hoc regiae potestatis fieret. Ait enim domi-
2 nus: » Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur «. Cum au-
tem ecclesiae ostium reges esse arrogant, fit profecto ut, qui per eos eccle-
15 domino dicente: » Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, fur est et latro «.

Et quidem si a nobis magnum aliquid tua dilectio postularet, quod
18 cum deo, cum iustitia, cum nostri ordinis salute concedi posset, gratanter utique concederemus. Hoc vero tam grave, tam indignum est, ut nulla ra-

Ad Ep. 216 (JAFFÉ-LOEW. n. 5868): Respondet Ep. superiori. Advenit in Angliam post Pentecosten a. 1101 (cf. *Hist. Nov.* 128 ss.; 431 s.). 12 salvabitur] loh. 10. 9. 15-16 latro] ibidem, 1.

Ep. 216 (*Hist. Nov.*, ed. RULE, p. 128 ss.) coll. cum cod. Vatic. lat. 6024, f. 156^v - 157^r, s. XII.-XIII. (= V^a); cum r g; notavi etiam varias lectiones cod. Cott. Tit. A. IX, s. XII. apud r notatas (= Tⁱ) 1 dilecto filio om. V^a 2 salutem et apost. benedictionem om. V^a 3 sed] si r 5-6 honores requirens V^a 6 temporibus V^a 7 videntur V^a interius] autem add. V^a 10 ecclesia indulgeretur V^a 11 prohibet V^a fieret potestatis V^a 17 aliquid magnum V^a 18 deo] domino V^a gratanter] graviter g

tionem catholicam id admittat ecclesia. Facilius ad extrema quaelibet beatus AMBROSIUS cogi potuit, quam imperatori ecclesiae permetteret potestatem. Respondit enim: „Noli gravare te, imperator, ut putes te in ea quae divina sunt imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere; sed si vis diutius imperare, esto dei subditus. Scriptum est: » Quae dei, deo; quae Caesaris, Caesari«. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiae. Publicorum tibi moenium ius commissum est, non sacrorum. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim quae non est legitimo Christi coniugio copulata. Audis, o rex, adulteram ecclesiam nuncupari, quae non legitime nupserit. Ecclesiae siquidem sponsus unusquisque aestimatur episcopus, iuxta scripturam illam, qua ex fratris uxore frater non sui nominis filios suscitare praecipitur, et sponsae contemptor a futuro sponso discoliari mandatur.

Vides igitur, o rex, quam ignominiosum, quam periculosum sit, per filios suos matrem adulterio pollui. Si ergo ecclesiae filius es – quod utique omnis catholicus Christianus est –, permittite matri tuae legitimum sortiri coniugium, ut non per hominem, sed per deum et hominem Christum legitimo sponso copuletur ecclesia. Per deum enim episcopos eligi, cum canonice eliguntur, testatur apostolus PAULUS dicens: » Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a deo tamquam AARON«. Et beatus AMBROSIUS: „Merito, inquit, creditur quod divino esset electus iudicio, quem omnes postulavissent“. Et post pauca: „Ubi universorum postulatio congruit, dubitare nos nequaquam oportet ibi dominum IESUM et voluntatis auctorem et petitionis arbitrum fore, et ordinationis praesulem et largitorem gratiae“. Praeterea propheta DAVID ad ecclesiam loquens ait: » Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram«. Ecclesia filios generat, ecclesia principes statuit.

Possemus alia de scripturis sanctis testimonia et exempla proponere,

22-28 copulata] AMBROSIUS, Ep. 20, n. 19 (PL 16, 1041 s.). 24-25 Caesari] Cf. Matth. 22, 21. 30-31 praecipitur] Cf. Deut. 25, 5 s. 31 mandatur] Cf. ibidem, 7-10. 37-38 AARON] Hebr. 5, 4. 39-40 postulavissent] Cf. AMBROSIUS, Ep. 63, n. 2 (PL 16, 1241). 40-43 gratiae] Cf. ibidem, n. 3. 43-45 terram] Ps. 44, 17.

21 permittere Tⁱ g 22 gravare te] gravari V^a te in ea] te om. V^a; mea g 24 Scriptum est] enim add. V^a Quae sunt dei V^a 24-25 et quae sunt Caes. V^a 27 Christi om. g 28 Audi V^a 31 mandatur] permandatur V^a 32 igitur] ergo V^a 33 pollui adulterio V^a 36 ecclesia om. V^a elegi g 37 PAULUS om. V^a 37-38 sumat V^a 40 postulassent V^a 41 nequaquam] non Tⁱ g 45 generat] genuit g 46 sanctis] sacris g

quibus constaret ecclesiae sponsores ac pastores episcopos non saecularium po-
 48 testatum nutu, sed Christi dispositione et ecclesiae iudicio praeponendos.
 Unde etiam imperator IUSTINIANUS sanxit in Legibus sic: „Debet
 enim prius disceptari de vita episcopi, utrum bona sit an reprehensibilis, et
 51 utrum bonis testimoniis muniatur an non“. Et infra: „Fiat, inquit, facultas
 unicuique, si velit, contradicere; et si quidem ante sacrationem fuerit con-
 tradictio facta, non prius consecratur episcopus, nisi disceptatio de contra-
 54 dictione sit facta, et undique appareat innoxius is, qui ad episcopatum vo-
 catur“. Ecce, quod populi totius esse pronuntiat imperator, hoc sui solius
 esse regia potestas incessit. Ipsius etiam imperatoris lege cautum est, ut nec
 57 profectio nec ingressus ad imperatorem sine metropolitani litteris pateret epi-
 scopo. Quem ergo in curia tua sine metropolitani litteris admittere non
 debes: eum vis, o rex, in ecclesia principem constituere?
 60 Monstruosum profecto est, ut patrem filius generare, homo deum crea-
 re debeat. Sacerdotes namque in scripturis sanctis deos vocari tamquam dei
 vicarios manifestum est. Unde sanctae memoriae CONSTANTINUS im-
 63 perator de episcoporum causis disceptare ausus non fuisse describitur. Prop-
 ter hoc sancta Romana et apostolica ecclesia per praedecessores nostros
 regiae usurpationi et investiturae abominabili vivaciter obviare curavit, et
 66 gravissimis persecutionibus per tyrannos affecta usque ad tempora nostra non
 destitit. Confidimus autem in domino, quoniam nec in nobis confidentiae
 suae virtutem ecclesiae princeps PETRUS et episcoporum primus amittet.
 69 Porro saecularium potestatum et regum in ecclesia quod sit officium ex-
 ponit apostolus PAULUS dicens: » Dei enim minister est tibi in bonum «.
 » Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in
 72 ira ei qui male agit «. Et PETRUS apostolus in eadem verba consentiens:
 » Sive regi « ait » quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis
 ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum «.

49-51 an non] Cf. IUSTINIANUS, *Novella* VI, c. 1, in initio. 51-55 vocatur] Cf.
 ibidem, n. 10. 56-58 episcopo] Ibidem, c. 3. 61 deos vocari] Cf. Ps. 81, 6;
 Ioh. 10, 34. 62-63 describitur] Cf. RUFINUS, *Hist. eccles.*, l. 1, c. 2 (*PL* 21,
 468 s.). 70-72 agit] Rom. 13, 4 (Vulg.: in iram; male] malum). 73-74
 bonorum] 1 Petr. 2, 13 s.

48 iudicio] indicio g praepone[n]dos] pone[n]dos V^a 52 sacrationem] conse-
 crationem Tⁱ g 55 totius populi V^a 56 potestas regia V^a 57 pateat V^a
 60 est profecto V^a 63 ausus om. V^a 66 per tyr. graviss. persecut. V^a

*Inter ista, rex, nullius tibi persuasio profana surripiat, quasi aut pote- 75
 stati tuae aliquid diminueret aut nos in episcoporum promotione aliquid no-
 bis velimus amplius vindicare. Immo si ab hoc propter deum desistas, quod
 contra deum esse manifestum est, quod cum deo nec tu exercere nec nos 78
 concedere aut cum nostra seu tua salute possumus: quidquid deinceps po-
 stulaveris quod cum deo possimus, libentius indulgebimus, et honori tuo et
 sublimationi propensius insistemus. Nec existimes quod potestatis tuae columnen 81
 infirmetur, si ab hac profana usurpatione desistas. Immo tunc validius, tunc
 robustius, tunc honorabilius regnabis, cum in regno tuo divina regnabit auc-
 toritas. Tunc amicitiam et familiaritatem nostram firmiter obtinebis et regni 84
 tutores beatos apostolos habere gaudebis. Nec tibi tunc in petitionibus tuis abesse
 poterimus, cui petitionum nostrarum fautorem deum adesse senserimus.*

*Ipse omnipotens deus, in cuius manu corda sunt regum, adsit horta- 87
 tui nostro, adsit auditui tuo, ut dum iuxta praecepta eius tuas disposueris
 actiones, ipse regnum tuum pacis et honoris sui stabilitate ac sublimatione
 disponat. Amen.*

90

217.

Ad PASCHALEM papam.

Ab episcopis Anglicis petitus cum ipsis precatur papam, ut decreta apostolica adversus investituram de manu laicorum, si possit, mitiget, sibi per legatos de hac re respondeat.

Domino reverendo et patri diligendo PASCHALI, summo pontifici:
 ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, debitam subiectionem et orationum assiduitatem.

3

Quanto studio mens mea sedis apostolicae reverentiam et oboedientiam
 pro sua possibilitate amplectatur, testantur multae et gravissimae tribulationes
 cordis mei, soli deo et mihi notae, quas ab initio episcopatus mei per quat- 6

87 regum] Cf. Prov. 21, 1. Ad Ep. 217: Scripta exeunte a. 1101 vel ineunte
 a. 1102. 5-6 tribulationes cordis mei] Ps. 24. 17.

75 prophana surrepat *V*^a 78 cum deo] cum domino *V*^a 80 possumus *g* 80-81
 et sublimationi *om.* *V*^a 85 habere gaudebis] habebis *V*^a tunc] nunc *T*ⁱ *g* 86
 cui] cum te *V*^a petitionem *g* deum] dominum *g* 90 Amen *om.* *V*^a
 Ep. 217 (prius IV, 6) coll. cum LPEC 1 PASCH.]P. LP Pascali E 2
 ANS.] .A. LPE

tuor annos in Anglia et per triennium in exsilio passus sum, quia eiusdem sedis subiectionem abnegare nolui. A qua intentione spero in deo quia nihil
 9 est quod me retrahere possit. Quapropter in quantum mihi possibile est, omnes actus meos eiusdem auctoritatis dispositioni dirigendos, et ubi opus est corrigendos volo committere. Qualiter ergo sim ad praesens in Anglia,
 12 breviter scribo, quia latoribus praesentium plenius hoc viva voce significandum dimitto.

Postquam revocatus a rege Angliae, qui nunc est, ad episcopatum re-
 15 dii, ostendi decreta apostolica quae in Romano concilio praesens audivi, ne scilicet laicus investituram ecclesiarum daret neque aliquis de manu eius acciperet, aut pro hoc homo eius fieret, nec aliquis praesumentem consecraret;
 18 qui vero haec transgrederetur, excommunicationi tanti concilii subiaceret. Quod audientes rex et principes eius, ipsi etiam episcopi, quanta mala hinc processura, quid potius se facturos quam haec decreta suscepturos acclamave-
 21 runt, gravor dicere, dicant legati praesentes, qui mecum audierunt. Tandem in me conversi uno sensu pariter omnes affirmaverunt me posse extinguere omne malum, quod ex his decretis processurum asseverant, si precibus epi-
 24 scoporum meas vellem associare, quatenus celsitudini vestrae placeret praedictam sententiam mitigare. Quod si facere recusarem, omne malum quod inde eveniret, mihi imputandum sine ulla mea excusatione iudicarent.

27 Ne igitur aliquid videar contemnere, aut meo solo sensu vel propria voluntate quicquam facere: nec illos audeo non audire, nec de vestrae sanctitatis dispositione aliquatenus volo exire. Servata igitur apud me reverentia
 30 et oboedientia sedis apostolicae, precor ut, quantum dignitas vestra secundum deum permittit, petitioni praedictae, quam vobis legati exponent, iuxta sapientiam vestram condescendatis, et quid me iubeatis in hac re facere, quid-
 33 quid futurum sit, per legatos praesentes certum me faciatis.

Oramus omnipotentem deum, ut paternitatem vestram diu incolumem in integra prosperitate ad ecclesiae suae robur et consolationem conservet.

12 latoribus praesentium] Scil. BALDEWINO, monacho Beccensi, et ALEXANDRO, monacho Cantuariensi (cf. *Hist. Nov.* 132; 433). 21 legati praesentes] Tres episcopi a rege directi: GERARDUS Eboracensis, HERBERTUS Teodfordensis, ROBERTUS Cestrensis (cf. *ibidem*).

16 investuras C 18 concilii E 23 hiis C processerunt C

218.

Ad eundem.

Scribit papam regi solum, non vero sibi respondisse; regem satisfactum non esse et inde quosdam episcopos, se vero suos legatos responsum accepturos mandasse.

Domino reverendo et patri diligendo PASCHALI, summo pontifici: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, debitam subiectionem et orationum assiduitatem. 3

Postquam revocatus ad episcopatum redii in Angliam, ostendi decreta apostolica, quae in Romano concilio praesens audiui. De qua re dominus meus rex vestram requisivit sanctitatem per legatum suum, et ego per epistolam meam vestrum inquisivi, secundum quod rem cognosceretis, consilium. Regi per litteras vestras respondistis, mihi vero minime. Sed quoniam illi responsum quod illi sufficeret non dedistis: adhuc vestram pro eadem re adiuvant quidam episcopi praesentiam, et ego nostros mitto legatos, responsi vestri mihi relatu-
ros sententiam, ne forte videar alicui meo solo sensu vel propria voluntate quicquam facere. Servata igitur apud me reverentia sedis apostolicae, precor ut de petitione, quam vobis praedicti episcopi exponent, quod melius et utilius sapientia vestra secundum deum iudicaverit, disponatis, et quidquid illud fuerit, per legatos nostros me certum faciatis. Sicut enim non pertinet ad me absolvere quod ligatis, ita non est meum ligare quod absolvitis.

Ad Ep. 218: Scripta eodem tempore quo Ep. praecedens. 6 per legatum suum] WILLELMUM (cf. Ep. sequentem), qui Ep. 215 secum tulit. 6-7 per epistolam meam] Ep. 215. 8 respondistis] Per Ep. 217. 10 quidam episcopi] Scil. legati in Ep. praeced. commemorati. 16-17 absolvis] Cf. Matth. 16, 19.

Ep. 218 (prius III, 47) coll. cum LPEVC; cod. Berol. Phill. 1694, s. XII.-XIII.; Paris. lat. 2887, s. XII. (= Z) 2 ANS.] .A. P 7 consilium, sec: quod rem cognosceretis Z 17 absolvis] Val. add. Z

219.

Ad eundem.

Refert quomodo rex, principes et episcopi exceperint decreta apostolica de investitura laica. - Ad epistolam per WILLELMUM missam papam sibi non respondisse, ideoque se mandare legatos responsum accepturos significat.

Domino reverendo et patri diligendo PASCHALI, summo pontifici:
ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, debitam subiectionem et orationum assiduitatem.

Postquam revocatus ad episcopatum redii in Angliam, ostendi decreta apostolica quae in Romano concilio praesens audiui, ne scilicet aliquis de manu regis aut alicuius laici ecclesiarum investituras acciperet, ut pro hoc eius homo fieret, nec aliquis haec transgredientem consecrare praesumeret. Quod audientes rex et principes eius, ipsi etiam episcopi et alii minoris ordinis, tam graviter acceperunt, ut assererent se nullo modo huic rei assensum praebituros, et me de regno potius quam hoc servarent expulsuros et a Romana ecclesia se discessuros. Unde, reverende pater, vestrum petii per epistolam nostram consilium, quam misi celsitudini vestrae per WILLELMUM, regis legatum. Sed quoniam responsi vestri litteras non accepi, adhuc per legatos nostros, quos mitto, cum carissimis fratribus et coepiscopis nostris, qui pro eadem re vestram sanctitatem adeunt, iam petitum iterum supplex per cartam sublimitatis vestrae certum peto consilium.

Oramus dominum nostrum Iesum Christum, ut vos conservet ad laudem et gloriam nominis sui et utilitatem ecclesiae suae.

Ad Ep. 219: Scripta eodem tempore quo duae epistolae superiores. 11-12 per epistolam nostram] Ep. 214. 17-18 ecclesiae suae] Cf. Missale Roman., *Susciptat*, post Offertorium.

Ep. 219 (prius IV, 4) coll. cum LPEC 11 se discessuros] sedis cessuros
LPE 12 Guillermum C

220.

Ad eundem.

Cum sibi non responderit papa, sibi necesse esse repetere, quae epistola prior narraverit, scribit. Ex aliis litteris et per legatos papam cogniturum esse quae sint inter se et regem.

Domino et patri reverendo PASCHALI, summo pontifici: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, debitam subiunctionem.

Quanto studio mens mea pro sua possibilitate sedis apostolicae reverentiam et oboedientiam amplectatur, testantur multae et gravissimae tribulationes cordis mei, soli deo et mihi notae, quas ab initio episcopatus mei continue iam per novem annos, et in exsilio et in episcopatu, passus sum, quia eiusdem sedis subiunctioni et oboedientiae inseparabiliter adhaesi. A qua intentione spero in deo quia nihil est quod me possit retrahere. Quoniam de iis, de quibus excellentiam vestram requisivi per epistolam missam olim per WILLELMUM, regis nostri legatum, nullum suscepi responsum, iterum ea necesse habeo repetere.

De hoc quod inter regem et me est, sufficere puto sapientiae vestrae quod in aliis litteris significo et quod per legatos nostros cognoscetis. De qua re non est humilitatis meae, vestrae sapientiae dare, sed ab ea expectare consilium. Precor autem omnipotentem deum, quatenus ipse cor vestrum ad laudem et gloriam nominis sui et utilitatem ecclesiae suae dirigat, ut de vultu eius iudicium vestrum prodeat et oculi eius in omnibus actibus vestris videant aequitatem.

De archiepiscopo Eboracensi electo, sicut per episcopos qui cum eo sunt poteritis agnoscere, supplex precor, quatenus pallio, propter quod vestram adit excellentiam, nobis eum confirmatum et gratia vestra honoratum remittatis. Credo enim quod non est in Anglia, qui tantum possit in ecclesiasti-

Ad Ep. 220: Scripta eodem tempore quo tres epistolae superiores. 16 dirigat] Cf. Missale Roman., *Suscipiat*, post Offertorium. 17-18 aequitatem] Cf. Ps. 16, 2. 19 De archiep. Eboracensi] GERARDO, qui legationi ex parte regis interfuit.

Ep. 220 (prius III, 48) coll. cum LPEVC 1 PASCH.] .P. P 1-2
ANS.] .A. P 6 in episcopatu] in om. VC 10 Guillermum C

cis rebus prodesse, et spero in deo quia, sicut a deo accepit facultatem,
 24 habet etiam voluntatem.

Quaedam alia quae nostri legati vestrae paternitati ex nostra parte
 suggerent, precor ut audire atque ad ea respondere dignemini. Oramus ut
 27 deus omnipotens sanctitatem vestram diu nobis conservet.

221.

HENRICI regis Anglorum ad PASCHALEM papam.

Ut archiepiscopo Eboracensi pallium det precatur.

*Reverendo et diligendo patri, universali papae PASCHALI: HEN-
 RICUS, dei gratia rex Anglorum, salutem.*

3 *Et amor quem plurimum erga vos habeo, et benignitas quae multum
 vestros actus exornat, fiduciam mihi dabant, ut retento mecum GIRARDO,
 Eboracensium archiepiscopo, pallium ei a vestra sanctitate requirerem; sed
 6 quia ipse totus eo desiderio tenebatur, ut vestris conspectibus praesentari et
 a vobis per se ipsum id petere posset, ad vos eum misi, dulcissimam mihi
 paternitatem vestram obsecrans, ut dato ei quod petit pallio, cum honore
 9 et laetitia eum ad me remittatis. Orate pro nobis, filiis vestris. Apostolatium
 vestrum deus multos annos conservet.*

Ad Ep. 221: Scripta eodem fere tempore quo epistolae praecedentes.

Ep. 221 (BROMTON IOH., *Hist. Anglianae Scriptores* [1652], col. 999 s. [= t];
 LIEBERMANN F. *Quadripartitus* [1892], p. 152 s. [= l]) coll. cum tl 1 uni-
 versali] venerabili et universali t 3 Et amor] Amor t 5 Eboracensi t 6
 praesentari] se praesentaret t 9 Orate] orantes t 10 multis annis t

222.

A PASCHALI papa.

Eum hortatur ad constantiam. - In synodo Lateranensi nuper celebrata decreta de investitura laica renovata esse nuntiat. - Primatum archiepiscopi confirmat, adiciens privilegium personale pro vita, quo nullius legati, sed suo tantum iudicio subsit.

PASCHALIS episcopus, servus servorum dei: venerabili fratri et coepiscopo ANSELMO salutem et apostolicam benedictionem.

*Non ignoras divinae voluntatis esse consilium, ut religio tua in Angli-
glici regni regione praesideat. Cum enim perversi regis odia declinans seces-
sum elegisses, et procul ab Anglicis tumultibus tecum habitans deo viveres,
de perverso rege sua omnipotens dominus iudicia terribiliter perpetravit. Te
autem totius populi postulatione vehementi et novi regis devotione mirabili
ad cathedram, quam pro deo dimiseras, revocavit. Deo autem gratias quia
in te semper episcopalis auctoritas perseverat, et inter barbaros positus non tyran-
norum violentia, non potentum gratia, non incensione ignis, non effusione
manus a veritatis annuntiatione desistis. Rogamus itaque, ut quod agis
agas, quod loqueris loquaris. Non enim deficiet sermonum nostrorum operum-
que principium, qui » in principio erat verbum «. Neque nos in ipso defi-
ciemus, qui est dei virtus et dei sapientia. Eundem enim cum patribus no-
stris spiritum habentes » credimus, propter quod et loquimur «. Et » verbum*

Ad Ep. 222 (JAFFÉ-LOEW. 5908): Data Laterani d. 15. Aprilis a. 1102. Respondet epistolis 217-220. 5 tecum habitans] Cf. GREGORIUS Magnus, *Dialog.* II, c. 3 (*PL* 66, 135). 6 perpetravit] Scil. mortem subitanam regis WILLELMI Rufi, d. 2. Augusti a. 1100. 13 verbum] Cf. Ioh. 1, 1. 14 sapientia] Cf. 1 Cor. 1, 24. 15 loquimur] 2 Cor. 4, 13.

Ep. 222 (prius III, 44) coll. cum *LPEVFD*r; praecipuas tantum lectiones varias excepimus ex *D*; cod. *Cambrig. Coll. Peterhouse* 74, s. XII. (= *S*); cod. *Paris. lat.* 2887, s. XII. (= *Z*); cod. *Vindobon.* 533, s. XII. (= *W*) in cod. *M* notatur solummodo: PASCALIS. A. Non ignoras. Item. Consulta illa (cf. *litt. sequen'es*). Require in Decretis pontificum. 1-2 Paschalis episcopus ans. arch. salutem *D* 1 Paschasius *S* episcopus om. *S* 2 ANS.] A. F cantuariorum add. *LPEVWZ* 3 esse om. *LPEV* ut] quod *LD*r 4 odium *Z* 6 dominus] deus *DS* 8 quia] quod *DS* 12 agas] peragas *DWZ* loquaris] perloquaris *DSWZ*r 13 principium] princeps *D* Neque] Nec *V* 14 dei om. *D*

quidem dei non est alligatum », nos autem humiliamur nimis. Ceterum in hac humilitione cum deo » mente excedimus ». In eius veritate hominum
18 mendacia intuemur.

Qua de re in synodo nuper apud Lateranense consistorium celebrata patrum nostrorum decreta renovavimus, sancientes et interdicentes, ne quis-
21 quam omnino clericus hominum faciat laico aut de manu laici ecclesias vel ecclesiastica dona suscipiat. Haec est enim Simoniacae pravitatis radix, dum ad percipiendos honores ecclesiae saecularibus personis insipientes ho-
24 mines placere desiderant. Idcirco sanctorum conciliorum reverenda maiestas saecularium principum potestatem ab ecclesiasticis electionibus decrevit arcen-
dam, ut, sicut per solum Christum prima in baptismo ecclesiae ianua, ul-
27 tima in morte vitae aperitur aeternae: ita per solum Christum ovilis Christi ostiarius statuatur, per quem Christi ovibus non pro mercedibus ovium, sed pro Christo ingressus et egressus ad vitam procuretur aeternam.

30 Haec, frater carissime, prolixiori possent et oratione et ratione tractari, sed sapientiae tuae pauca suggessisse satis est, quae et orationibus divinis abundat et ecclesiasticis est rationibus assueta. Haec ita doceas, sicut
33 tuo scis primatui expedire. Quem profecto ita fraternitati tuae plenum et integrum confirmamus, sicut a tuis constat praedecessoribus fuisse possessum; hoc personaliter adicientes, ut, quamdiu regno illi religionem tuam divina
36 misericordia conservaverit, nullius umquam legati, sed nostro tantum debeas subesse iudicio.

Data Lateranis XVII. Kalendas Maii.

15-16 alligatum] 2 Tim. 2, 9. 16 nimis] Cf. Ps. 37, 7. 17 excedimus] Cf. 2 Cor. 5, 13. 19 celebrata] Mense Martio. 27-30 aeternam] Cf. Ioh. 10, 1 ss.

20-21 quisquam] quis LPEVFZ 21 hominum V alicui hominum faciat D
laico faciat FWZ 22 Haec] Hoc LPEV enim om. SZ 23 ad honores
ecclesiasticos (ecclesiasticas S) percipiendos DS 23-24 saec. pers. insip. homines]
saecularibus et insipientibus personis D 24 reverenda] veneranda DSr 27
aperietur LPEV 29 procuretur] perducatur Dr Haec] Hoc LPEV 30-32
prolixiori - Haec om. F 31-32 divinis om. V 33 Quem] Quae DS ita
om. DS fraternitati tuae ita F plenum] pleniter Dr 35 divina] dei F
36 sed nostro tantum] nisi tantum nostro S 38 Data etc. om. Dr Lateranis om. S

223.

Ab eodem.

Respondet ad diversa dubia per nuntios BALDEWINUM et ALEXANDRUM sibi proposita; et quidem de acceptione ecclesiarum ab episcopo vel abbate de manu laici; de filiis sacerdotum vel concubinarum; de presbyteris feminas habentibus, qui in periculo mortis constituti sacramenta denegant; de commutatione ecclesiarum pro terris ecclesiarum; de clericis utrum homines laici fieri possint, ut beneficia non ecclesiastica accipere possint; de licentia relaxandi statuta apostolica et canonica; de RANNULFO in episcopatum restituto.

PASCHALIS episcopus, servus servorum dei: venerabili fratri et coepiscopo ANSELMO salutem et apostolicam benedictionem.

Consulta illa, quae per venerabiles nuntios tuos BALDEWINUM³ et ALEXANDRUM ad sedem apostolicam transmisisti, poterat utique fraternitas tua et fratrum qui circa ipsam sunt collatione, et datae divinitus sapientiae et intellectus consideratione discutere. Ceterum, sicut in ceteris⁶ consuesti, in hoc quoque communi catholicorum matri reverentiam servare curasti. Nos itaque sanctorum patrum, qui nos in sede apostolica disponente domino praecesserunt, vestigiis inhaerentes hoc consultationi tuae respondenda⁹ deliberavimus.

ANSELMUS: Si de manu laici liceat episcopo vel abbati accipere ecclesias, quas in suo dominio habent, cum eas non personae, sed episcopi¹² patui vel abbatae donent.

PASCHALIS: De manu laici episcopus iam consecratus suscipere non debet ecclesias, si in aliena parochia sint. Si vero in sua parochia sunt,¹⁵ licenter accipiat. Hoc enim non videtur dare, sed reddere, cum ecclesiae

Ad Ep. 223: (JAFFÉ-LOEW. 5909): Scripta videtur eodem fere tempore quo Ep. praecedens.

Ep. 223 (prius III, 45) coll. cum LPEVF adnotationem ad hanc epistolam in cod. M videas ad Ep. 222 2 ANS.] .A. F 3 venerabiles om. F 3-4 BALD. et AL.]. b. et .a. F 5 tua om. V ipsa P 6 et intellectus om. F 7 consueti P 8 in sede] in se P 8-9 disponente domino om. F 9 hoc] haec F haec corr. ex hoc V 9-10 resplondenda L (respondenda corr. ex resplondenda E) resplondenda P 11 hic et ubique ante ANS. et PASCH. paragraphus in LPEV 12 in suo om. F 13 donent] dent F 15 sint. Si vero in s. parochia om. E

omnes per singulas parochias in episcoporum esse debeant potestate. Abba-
18 tes vero per episcoporum manus accipiant.

ANSELMUS: De sacerdotum filiis vel concubinarum, qui quosdam
olim gradus acceperunt et volunt omnino redire ad immunditias saeculi,
21 nisi ad maiores promoveantur. Et si promovebuntur, promittunt religiosam
vitam: quid agendum est?

PASCHALIS: De sacerdotum filiis vel concubinarum, quam viam
24 tenendam praedecessores nostri sedis apostolicae pontifices instituerint, nosse
te credimus. Nec nos ab illorum volumus aberrare vestigiis. Quid igitur
tibi super iis in barbaris sit regionibus disponendum, ex ipsius praecepti po-
27 teris collatione distinguere.

ANSELMUS: Si a presbyteris feminas habentibus liceat poenitentiam
et corpus domini in periculo mortis accipere, cum nullus continens adest;
30 et si licet et illi dare nolunt, quia missae eorum contemnuntur: quid facien-
dum est?

PASCHALIS: In periculo mortis positum melius aestimamus de ma-
33 nu cuiuslibet clerici dominicum corpus accipere, quam de corpore sine via-
tico, dum religiosus sacerdos exspectatur, exire. Si qui vero presbyterorum,
pro vitae suae contemptu praeterito, in illo extremitatis articulo positus via-
36 ticum denegaverint, tamquam animarum homicidae districtius puniantur.

ANSELMUS: Si rex habet terras episcopatus vel abbatae, quas
nullo modo reddere vult, et pro eis vult dare aliquam ecclesiam quam in
39 sua manu tenet, non minus utilem: si liceat eam accipere, ne iudicetur
emptio?

PASCHALIS: Pro terris ecclesiarum de manu regis ecclesias susci-
42 pere minus licet, ne sacrilegio dari videatur assensus. Divina enim in nul-
lius bonis sunt, et quod deo semel oblatum est, in alienos usus non expe-
dit usurpari. Porro sub huiusmodi commutationibus saeculari potestati secu-
45 rius indulgetur.

ANSELMUS: Si nullus clericus debet fieri homo laici et aliqua
beneficia aut possessiones non ecclesiasticas debet tenere de laico, nec laicus
48 vult ei dare, nisi fiat suus homo: quid fiet?

18 accipiant] sine paragr. LPE 20 ad] ab P 21 promovebuntur] promo-
vehuntur P provehuntur F 24 sedis apostolicae om. F instituerunt P 25
aberrare] oberrare PVF Quid] Quod V

PASCHALIS: Liberam esse ecclesiam *PAULUS* dicit. Indignum est igitur ut clericus, qui iam in dei sortem assumptus est et iam laicorum dignitatem excessit, pro terrenis lucris hominum laico faciat; ne forte, dum 51 repetitur servitii saecularis obnoxius, vacet aut gravetur ecclesia. Scriptum est enim: »Nemo militans deo implicat se negotiis saecularibus«.

ANSELMUS: Saepe necesse est aliquid de apostolicis et canonicis 54 statutis pro compensationibus relaxare, et maxime in regno in quo fere omnia sic corrupta et perversa sunt, ut vix ibi aliquid omnino secundum statuta ecclesiastica fieri possit; peto ut per licentiam vestram possim quaedam, 57 prout mihi discretionem deus dabit, temperare. Quod petii a domino papa *URBANO*, et ipse posuit in mea deliberatione.

PASCHALIS: Dispensationis modus, sicut beatus *CYRILLUS* in 60 epistola Ephesinae synodi loquitur, nulli umquam sapientum displicuit. Novimus enim sanctos patres nostros et ipsos apostolos pro temporum articulis et qualitatibus personarum dispensationibus usos. Quam ob rem nos de religio- 63 ne et sapientia tua diu longeque spectata nihil penitus ambigentes, tuae deliberationi committimus, ut iuxta datum tibi divinitus intellectum, cum ecclesiae, cuius praepositus es, tanta necessitas expetit, sanctorum canonum 66 decretorumque difficultatem opportuna et rationabili valeas providentia temperare.

ANSELMUS: *RANNULFUS*, de quo vestrum olim petii consilium, 69 a rege restitutus est in episcopatum. Si ergo vobis placuerit, inquirete vitam eius ab episcopis nostris, qui nunc ad vos venerunt, ac de eo archiepiscopo eius et mihi, primati eius, consulite. 72

PASCHALIS: *RANNULFI* episcopi causam, quandoquidem iuxta praeceptum nostrum in cathedram propriam restitutus est, indiscussam prae- terire non patimur. Eius enim facinora gravissima ad sedem apostolicam 75 multorum sunt relatione perlata. Volumus ergo, ut apud praesentiam vestram in episcoporum conventu, quae de eo ad nos scripta sunt plenius pertrac- tentur. Discussionem habita, nisi se septima sui ordinis manu expurgare 78 potuerit, mox cum litterarum vestrarum testimonio transmittatur ad nos. Si

49 dicit] Cf. Gal. 4, 22 ss. 53 saecularibus] 2 Tim. 2, 4. 69 olim] Cf. Ep. 214.

51 hominu n P 53 saecul. negotiis F 54 apostolicis et om. F 58 deus
discretionem F 59 URB.] .U. F 62 sanctus om. F 65 tibi] mihi V
74 nostrum] meum F

autem de conscientia sua trepidans ad examen nostrum pervenire noluerit,
⁸¹ *per experientiam vestram ab ecclesia quam occupat expellatur, et in ea*
iuxta canonicas sanctiones episcopus subrogetur.

224.

PASCHALIS papae ad HENRICUM regem Anglorum.

Laudat bonum initium gubernationis regni et monet regem, ut ab investituris absterneat.

PASCHALIS episcopus, servus servorum dei: carissimo HENRICO, regi Anglorum, salutem et apostolicam benedictionem.

³ *Regi regum domino gratias agimus, qui te in regnum beneplacito suae voluntatis evexit et tamquam Christianum regem in beneplacito suae voluntatis ineffabili misericordia custodivit. Rogamus ergo, ut bona regni tui*
⁶ *exordia in melius augeat et usque in finem sua in te dona custodiat. Dese-*
ruis! enim fratris tui regis impietatem, quam divino conspicias iudicio terri-
biliter vindicatam. Ecclesias libertati restituisti, clerum honorare coepisti, et
⁹ *cleri principes, episcopos, immo in his Christum dominum venerari.*

Confidimus itaque quoniam usque in finem eadem sapiens et in eadem probitate persistes, nisi sunt aliqui perversae mentis homines, qui cor regum per
¹² *episcoporum et abbatum investituras divinae indignationi aptare conantur. Quo-*
rum in hac parte consilia tamquam virus tibi sunt evitanda, ne illum offendas,
per quem » reges regnant « et » potentes « iusta decernunt ». Quem profecto si
¹⁵ *propitium habueris, feliciter regnabis, potestatemque integram et divitias obti-*
nebis. Quem si – quod absit! – offenderis, non procerum consilia, non militum
subsidia, non arma, non divitiae, ubi subvertere coeperit, poterunt subvenire.
¹⁸ *Porro in honore domini, in ecclesiae libertate nos familiares, nos adiutores*
habebis. Nec opineris quia quisquam nos a tua divellet amicitia, si ab inve-
stituris abstinere, si honorem debitum et libertatem a domino institutam eccle-

Ad Ep. 224: (JAFFÉ-LOEW. 5910): Scripta d. 15. Aprilis a. 1102; una cum Ep. 222 missa (cf. *Hist. Nov.* 134 ss.; 434). 3 Regi regum] Cf. 1 Tim. 6, 15. 14 regnant] Cf. Prov. 8, 15. decernunt] Ibidem et 16.

Ep. 224 (*Hist. Nov.*, ed. RULE p. 134; *PL* 163, 95) coll. cum r

siae conservaveris. Ecclesiarum siquidem investituras nos sancti spiritus iudicio regibus et principibus, immo laicis omnibus interdicimus. Nec enim decet, ut a filio mater in servitutem addicatur, ut sponsum quem non optavit accipiat. Habet sponsum suum regem ac dominum nostrum, qui te misericordia sua in potentia et probitate custodiat et a terreno ad caeleste perducatur. Amen.

225.

Eiusdem ad RANULFUM episcopum Dunelmensem.

Ei praecipit, ut archiepiscopo Cantuariensi de criminibus quae commisisse dicatur, satisfactorius se praesentet.

PASCHALIS episcopus, servus servorum dei: RANULFO, Dunelmensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quaedam scelerata et nefanda te ante episcopatum et tempore promotionis commisisse audivimus; et si vera sunt, quae de te ad apostolicam sedem sunt delata, non solum a dicto episcopatu, sed a reliquis ecclesiasticis gradibus fueras repellendus. Ulterius autem haec non dissimulantes, pro cura suscepti regiminis te litteris nostris alloqui decrevimus, ut, si corrigi detrectas amore ut filius, timore saltem corrigaris ut servus, proponens ante oculos, quam districtus iudex venturus est, qui iram intendit et laet. Non abutamur ergo longanimitate iudicis, qui ideo sententiam differt, ut minus inveniat quos condemnet.

Verum quia audita non debemus indiscussa transire, scribimus tibi, ut canonice episcopatu restitutus, fratri nostro, Cantuariensi archiepiscopo, secundum quod ei iam in litteris significavimus, te repraesentes, de obiectis satisfactorius. Quod si feceris, beati PETRI gratiam et nostram habebis; si vero iudicium subterfugere coeperis, canonicam in te sententiam experies.

Ad Ep. 225: Missa simul cum Ep. 223. 10-11 condemnet] Cf. GREGORIUS Magnus, *Hom. 10 in Ev.* (PL 76, 1114 A). 14 in litteris] Cf. Ep. 223.

Ep. 225 (CRASTER H. H. E., *Archaeologia Aeliana*, 4. series VII [1930], p. 41; HOLTZMANN, W., *Papsturkunden in England*, t. 2, II, (1936) p. 137 s. [= h]) coll. cum h 5 solum a supplevi; om. h 11 inveniat supplevi (cf. locum citatum in altero apparatu); om. mss.; h notat quiddam hic deesse

226.

Eiusdem ad OSBERNUM episcopum Excestresem.

Eum admonet, ne ipse et eius clerici monachos S. Martini de Bello in sua civitate conversantes prohibeat suos mortuos infra monasterii sui ambitum sepelire. Contraeuntes ut puniantur, ANSELMO archiepiscopo se iniunxisse nuntiat.

PASCHALIS episcopus, servus servorum dei: venerabili fratri OSBERNO episcopo et clericis Excestreensis ecclesiae, salutem et apostolicam benedictionem.

Et patrum sanxit auctoritas et ecclesiasticae consuetudinis stabilitas exigit, ut, sicut in claustris suis viventes religiosi monachi conversantur, ita et defunctorum corpora infra monasteriorum suorum ambitum requiescant, ut illud ex divino munere cum cordis valeant exultatione cantare: » Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam «.

9 Vos autem, ut audivimus, monachos Sancti Martini de Bello in vestra civitate conversantes sepeliri infra monasterii sui ambitum prohibetis, et grave est ut in eo loco quisquam cum devotionis gratia conversetur, unde 12 cadaver suum praevidet omnimodis propellendum. Qua de re dilectioni vestrae praesentia scripta mandamus, praecipientes et prohibentes ne ulterius supradictis monachis cimiterium ad sepeliendos suos interdicatis, sed, sicut 15 vobis per antecessoris nostri beatae memoriae domini URBANI litteras praecceptum est, concedatis. Tua, carissime frater OSBERNE episcope, interest, eisdem fratribus cimiterium benedicere et eorum religionem ad omnipotentis 18 dei servitium confovere. Si quis autem huic institutioni contraire tentaverit: venerabili fratri et coepiscopo ANSELMO iniunximus, ut in eum tamquam sedis apostolicae contemptorem apostolici rigoris ultionem exerceat.

Ad Ep. 226: (JAFFÉ-LOEW. 5911): Data simul cum epistolis superioribus (cf. *Hist. Nov.* 136 s.; 434). 1-2 OSB.] De eo cf. Ep. 172. 7-8 eam] Ps. 131, 14. 9-10 conversantes] Cf. ad Ep. 172.

Ep. 226 (*Hist. Nov.*, ed. RULE p. 136 s.; PL 163, 95) coll. cum r; adnotavi lectiones cod. Cott. Tit. A. IX (= Tⁱ), quas notat r 15 beatae] bonae Tⁱ 16 carissime] autem Tⁱ episcopo Osberne Tⁱ

227.

A BENEDICTO.

Exposita superbia regis et cleri laudat vitam ANSELMI.

Domino et venerabili patri ANSELMO, gratia dei Cantuariensium archiepiscopo: BENEDICTUS in domino salutem.

Amor scribere et dolor cordis mei gemitum caritati vestrae compellit aperire. Et quia sapientibus loquor et qui de parva materia norunt feracula conficere multa, ideo breviter succincteque sanctitati vestrae dico quoniam satanas videtur esse solutus. Rex namque superbiae prope est et, quod dici nefas est, sacerdotum ei praeparatur exercitus, quia cervice elata militant, qui praepositi sunt ut praebeant exempla humilitatis, sic ut DANIELIS vaticinium videatur esse completum. Ergo »qui in Iudaea« est, »ad montes« non fugiat, et »qui in tecto« est, »non descendat tollere aliquid de domo«, et cetera. Proinde vos, qui »in tecto« domini »passer solitarius« extitistis et agrum dei vomere linguae viriliter conscidistis: nec ad montes fugere nec oportet de plano aliquid tollere. Et si Romae non est nunc GREGORIUS, est tamen Angliae AUGUSTINUS; et qui dedit ei signa et prodigia facere, dabit vobis pro Christi fide ad finem usque viriliter certare. »Fidelis est enim deus, qui non patietur vos tentari ultra id quod facere potestis«, et cetera.

Benedictionem autem vestram qua debui mente suscepi, bene sapientem, bene redolentem. Deo autem gratias agimus quia saporosa sunt et odorosa sunt quae agitis, quae dici is, quae datis. De vita autem vestra dicamus pariter, dicamus omnes: »gloria in excelsis deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis«. Rogo vos orate pro me, ut SIMON me aliqua parte corrumpere nequeat, et deus ab hoc pelago ad portum salutis perducatur.

Ad Ep. 227: 6 solutus] Cf. Apoc. 20, 7. 8-9 vaticinium] Cf. Dan. 9, 27.
9-11 et cetera] Cf. Matth. 24, 16 ss. 11 solitarius] Cf. Ps. 101, 8. 14
prodigia] Cf. Act. 2, 19. 15-17 et cetera] 1 Cor. 10, 13 (Vulg.: Fidelis autem
deus est; supra id; facere om.). 21-22 voluntatis] Luc. 2, 14 (Vulg.: in altissimis).
22 SIM.] Cf. Act. 8, 18 ss.

Ep. 227 (prius III, 46) coll. cum LPEV 4 et qui] et quia P 10 non
expunctum V 11 domini] sic correxi; diu mss. 12 nec ad montes] nec ex-
punct. V 16 facere] ferre V 20 sunt om. V

228.

Ad HENRICUM regem Anglorum.

Commendat quendam monachum de Micelenei. - Regem obsecrat, ne personas indignas ecclesiis praeponat.

Glorioso domino suo HENRICO, gratia dei regi Anglorum: ANSELMUS archiepiscopus fidele servitium et fideles orationes.

³ Precor vos, mi carissime domine, ut dominum et regem et tutorem ecclesiae dei vobis commissae, ut audiat intentum planctum istius monachi de Micelenei, et secundum quod intelligetis vos decere et ecclesiae expedire,
⁶ sentiat regiam et paternam vestram subventionem et consolationem.

Ego vero, fidelissimus animae vestrae et corporis vestri et veri honoris vestri, consulo vobis et obsecro, ne praeponendo ecclesiis dei personas, quales non debetis et aliter quam debetis et consilio, secundum quorum consilium hoc facere non debetis, attrahatis - quod absit! - iram dei super vos. Certum enim est quia iam in aliquibus pravi et infideles, quantum ad animam vestram,
¹² consilarii aliter quam oporteret vobis consuluerunt. Omnipotens deus sic vobis det regere quae vobis commisit, ut ipse vos regat et ab omni malo tueatur.

Ad Ep. 228: Scripta a. 1100-1103. 5 Micelenei] Abbas huius monasterii in concilio Londoniensi a. 1102 habito depositus est (cf. *Hist. Nov.* 142; 438); an hic de eadem re agitur?

Ep. 228 (prius IV, 5) coll. cum LPEC 1-2 ANS.] .A. P 8 proponendo C

229.

Ad WILLELMUM electum episcopum Wentoniensem.

Invitat eum pro proximis Quattuor temporibus ad accipiendum sacerdotium et consecrationem episcopalem, si tunc velit.

ANSELMUS archiepiscopus: dilecto dilectori suo WILLELMO, electo episcopo Wentoniae, salutem.

Mandate mihi si in proximis Quattuor temporibus venturi estis ad me pro sacerdotio, et si in sequenti die post acceptionem sacerdotii vultis consecrationem episcopalem accipere. Oportet enim me hoc praescire, quia, si tunc consecrationem episcopi suscepturi estis, veniam tunc Cantuariam et invitabo episcopos qui mecum sint ad tale opus, ut decet, faciendum. Si autem sacerdotium tantum praedicto tempore vultis accipere, non veniam tunc Cantuariam, quia ubicumque fuero illud facere potero. Ubi autem tunc ero, prius caritati vestrae notificabo. Valete.

230.

Ad RODBERTUM, SEIT, EDIT.

Eos hortatur, ut observantiam in minimis servent et conversationem angelorum imitentur.

ANSELMUS archiepiscopus: RODBERTO, SEIT, EDIT, carissimis suis filiis, salutem et benedictionem dei, quantum potest.

Utinam cognosceretis, quanto gaudio cor meum repleverit dilectus filius meus WILLELMUS de vestra quam mihi retulit invicem sancta dilec-

Ad Ep. 229: Scripta a. fere 1102. [1 WILL.]. Electus episcopus Wentoniensis (= Winchester) a. 1100, consecratus demum a. 1107; + 1129. De eo cf. *Hist. Nov.* 144 s.; 444 ss. **Ad Ep. 230:** [1 ROB., SEIT, EDIT] De his cf. Ep. 414. Ut ex eadem epistola apparet, SEIT et EDIT sanctimoniales erant. [4 WILL.] Hic etiam in Ep. 414 de eisdem refert.

Ep. 229 (prius IV, 7) coll. cum LPEC	[1 Guillermo C	Ep. 230
(prius IV, 110) coll. cum LPECFM	inversiones verborum cod. M (et D)	
iam non notabo [1 ROB., SEIT, EDIT] R. S. E. FM	Robberto C	2
suis om. M	et bened. - potest om. M	quantum potest om. F
Et om. FM	4 Guillermus C	3-9 Utinam -

tione, de religiosa conversatione, de caelesti proposito et spirituali intentione! Quamvis enim multis curis et tribulationibus prementibus me sentiam a spirituali fervore tepere, tamen magna cordi meo generatur laetitia, cum audio alios in amore dei fervere.

9 Et quoniam ad officium mihi iniunctum et curam pertinet commissam, et vos, sicut sentio, desideratis: moneo, precor, quanto affectu possum, ut in hoc quod non vos, sed deus in vobis coepit, perseverare, immo et proficere studeatis. Quod utique deo adiuvante poteritis efficere, si minima quaeque nolueritis negligere. Qui enim in minimis servat diligentiam, non facile admittit in maioribus negligentiam. Nec hostis noster illis, quos in sancto 15 proposito esse considerat, maiora peccata aperte ostendit, sed in modicis, quasi quae contemnenda sint, latenter eos fallere contendit. Scit enim quia » qui modica despicit, paulatim decedit «. Ergo, carissimi, si quamlibet parum a vestra bona consuetudine aliquando vel semel sentitis declinare: gravem casum gemendo vos incurrisse iudicate.

Colloquia vestra semper sint munda et de deo; exemplum vitae accipite ex angelis de caelo. Exceptis iis quae fragilitas humanae naturae ad suam exigit sustentationem: ut vestra conversatio semper in caelis sit, angelicam in omnibus considerate et imitamini conversationem. Haec contemplatio sit magistra vestra, haec consideratio sit regula vestra. Quae vitae angelicae concordant sectamini, quae ab illa discordant exsecramini. Angelos vestros – sicut dixit dominus: » angeli eorum semper vident faciem patris 27 mei « – semper vobis praesentes et actus et cogitatus vestros considerantes cogitate, et ita, velut si eos visibiliter inspiceretis, semper vivere curate. Omnipotens deus numquam permittat vos ab hoc ad quod pervenistis deficere, 30 sed semper faciat ad meliora proficere. Oro, orate pro me.

17 decedit] Cf. Eccli. 19, 1 (Vulg.: qui spernit modica, paul. decidet). 22 sit]
Cf. Phil. 3, 20. 26-27 mei] Matth. 18, 10.

7 spiritali C 9 et curam om. FM commissam om. FM 11-12 proficere]
perficere C 12 deo utique E efficere] perficere M 16 quia om. C 17
paul. dec.] p. d. M 18 semel] vos add. M 21 his FM hiis C 24
magistra nostra E regula nostra E 26 vestros] nostros E dixit] dicit FM
26-27 semper v. f. p. m. M 28 semper om. M 28-30 Omnipotens - pro
me om. M 30 faciat] vos add. F Oro - pro me] Amen F

231.

Ad monachos coenobii Cestrensis S. Werburgae.

Monet eos, ne sint negligentes in minimis, inoboedientes, otiosi.

ANSELMUS archiepiscopus: fratribus et filiis suis carissimis, monachis in Cestrensi coenobio Sanctae Werburgae commanentibus, salutem et benedictionem dei et suam.

3

Benedictus deus in donis suis et »sanctus in omnibus operibus suis«, qui vos facit et numero crescere et augmento religionis proficere. Quamvis enim de omnium servorum dei profectu gaudeam, in vobis tamen aliquid 6 habeo speciale cur de vestro laetari profectu debeam, quoniam per me deus congregationis vestrae dignatus est instituere principium et dare vobis primum abbatem, domnum scilicet RICARDUM, filium nostrum carissimum. 9 Gratias igitur ago deo pro gratia sua quam ostendit in vobis, et oro ut, sicut eadem gratia vos praevenire dignatus est, ita indesinenter subsequatur, quatenus numquam vos de hoc ad quod vos provexit permittat deficere, 12 sed semper ad meliora donet proficere.

Quod pro certo ipse faciet, si non negligentes fueritis bona, ad quae iam pervenistis, servare. Cum enim dei sit sua gratia semper nos praeve- 15 nire, nostrum est quod accipimus eius auxilio studiose custodire. Nam quamvis nec habere nec servare possimus aliquid nisi per illum, perdere tamen et deficere non est nisi ex nostra negligentia. Quae saepissime incipit a mini- 18

Ad Ep. 231: 2 S. Werb.] Hoc coenobium ab ANSELMO abbate Beccensi et HUGONE comite Cestrensi a. 1093 fundatum est. 4 in donis suis] Cf. benedictionem mensae post coenam. in op. suis] Ps. 144, 13. 9 RIC.] In catalogo Beccensium, ut videtur, n. 89: 'Ricer abbas'. Abbas a. 1093(?) - 1117 (cf. DUGDALE *Monast. Angl.* t. II, p. 370 s.; 384, n. I et IV). Videtur esse is, ad quem Ep. 96 scripta est et qui tunc prioratui S. Neoti praefuit. 11 subsequatur] Formula liturgica.

Ep. 231 (prius III, 49) coll. cum LPEVCFM 1 carissimis] om. M; oro, orate pro me add. F (cf. finem Ep. 230, ex quo haec verba huc delapsa sunt) 3 dei et suam om. M 4-9 Benedictus - carissimum om. FM 8 est dignatus] est add. C 8-9 et dare vobis primum om. V 10 igitur om. FM 14 pro certo] profecto M 15 sit om. P 16 accepimus FM 17 aliquid] quicquam M

mis, in quibus nos callidus hostis solet decipere, cum nobis persuadet ea non magnipendere. Inde namque sequitur illud damnum execrabile quod
 21 legitur: quia »qui modica despicit, paulatim decedit«. Certissimum namque est – quod in multis ecclesiis experimento didicimus – quia in monasterio, ubi minima districte custodiuntur, ibi rigor ordinis monachorum inviolabilis
 24 permanet, ibi pax inter fratres et in capitulo proclamationes conquiescunt. Ubi vero minimi excessus negliguntur, ibi totus ordo paulatim dissipatur et destruitur. Si ergo de virtute in virtutem et de profectu ad profectum vultis
 27 ascendere, semper timete in singulis minimis deum offendere.

Non debetis considerare quam parva sit res quam contra prohibitionem facitis, sed quantum malum sit inoboedientia quam pro parva re incurritis.
 30 Sola enim oboedientia potuit hominem in paradiso retinere, unde per inoboedientiam eiectus est, neque ad regnum caelorum aliquis nisi per oboedientiam perducitur. Pensate quia, si homo per unam solam inoboedientiam
 33 in tantam miseriam quam patimur in hoc mundo proiectus est: quantum debeamus eam horrere et oboedientiae bono studere. In oboedientia totus vigor bene vivendi construitur, in eius negligentia destruitur. Abbati ergo
 36 vestro oboedientiam non solum in opere, sed etiam in voluntate per omnia exhibete, et ad invicem pacem et concordiam per mutuam dilectionem habete. Quam dilectionem sic nutrire et servare poteritis, si unusquisque non
 39 ut alius suam, sed ut ipse alterius voluntatem faciat studuerit.

Otiositatem quoque sicut rem inimicam animarum vestrarum a vobis excludite, et unusquisque consideret quia de singulis momentis vitae nostrae
 42 reddituri sumus deo rationem. Cuicumque ergo deus dat aliquam gratiam ad quamlibet utilitatem, ea utatur, inquantum habuerit opportunitatem. Qui enim non utitur potestate benefaciendi quam habet, in die iudicii quasi non
 45 habens iudicabitur, et ab illo auferetur hoc ipsum quod habere videtur, quia et praemio quod mereri potuit carebit, et deinceps nullam alicuius

19 callidus hostis] Cf. Gen. 3, 1. 21 decedit] Eccli. 19, 1. 22 quod... experimento didicimus] Cf. *Regulam* s. BENEDICTI, c. 59 (ed. BUTLER lin. 18 s.).
 26 de virt. in virtutem] Cf. Ps. 83, 8. 34 oboedientiae bono] Cf. ibidem, c. 71 (lin. 1).
 35-39 studuerit] Cf. ibidem, c. 72 (lin. 9-13). 40-41 excludite] Cf. ibidem, c. 48 (lin. 1). 45 videtur] Cf. Matth. 25, 29.

21 modica d. p. d. M 31 caelorum] potest add. M 32 perducitur] reduci M
 38 servare] conservare M 39 ipse alterius] ad partem illegibile M 45 ab illo] ab eo M

boni operis potestatem in poenis habebit. Quasi autem alii dabitur quod ab illo auferetur, quando illi qui bene operatur secundum donum quod accepit, praemium augebitur, quia iuxta illum qui negligenter vixit, eius exemplo a bono opere non defecit. Gratias ago vobis quia pro me oratis, et oro ut ab hac caritate non desistatis. 51

232.

Ad HUGONEM monachum.

Gratias agens pro tanta eius in se dilectione eum hortatur, ut culpas suas nec celando nec defendendo ad meliora proficiat. Eum reprehendit, quod quaedam magis secundum suam voluntatem quam secundum oboedientiam faciat.

ANSELMUS archiepiscopus: fratri et filio carissimo HUGONI salutem et benedictionem.

Domno abbate referente didici quod tantam erga me habeas dilectionem, 3 ut cum prospera mea audis valde gratuleris, et cum adversa cognoscis multum contristeris, et cor tuum commoveatur adversus eos a quibus contingere sentis aliquam adversitatem mihi, et quia pro me orare pro possibilitate tua 6 non desinis. Quoniam ergo tanta tui est erga me dilectio: si te non diligo, me ipsum iniustum iudico. Et quia vera dilectio illum quem diligit semper proficere desiderat, idcirco te hortor et moneo, ut mens tua semper ad meliora se extendere studeat. 9

Quod si quaeris consilium quomodo hoc possis facere: monachicum propositum super omnia dilige. Quod tunc bene custodire poteris, si quam culpam tuam aut celare aut defendere volueris. Sicut enim vulpes foveas habent, ubi latenter catulos pariunt et nutriunt, et sicut volucres nidos habent patenter, in quibus pullos suos foveant: ita diaboli faciunt 15

47-48 auferetur] Cf. ibidem, 28. Ad Ep. 232: Missa videtur una cum Ep. praecedente et sequente. 1 HUG.] Videtur esse monachus S. Werburgae (cf. Ep. praeced. et sequ.). 13-14 habent] Cf. Matth. 8, 20. 14-15 habent] Cf. ibidem.

47 operis om. M 50-51 Gratias - desistatis] Valet F; om. M Ep. 232 (prius IV, 111) coll. cum LPECFM 1 HUG.] .H. FM 1-2 salutem et benedictionem om. M 2 et benedictionem om. F 3-8 Domno - Et om. FM 3 referende P 11 monachum C 15 patentes P suos om. C

foveas et multiplicant peccata in corde celantis, et aedificant aperte nidos, in quibus similiter peccata aggregant in mente defendentis. Vide igitur, si
 18 non vis esse fovea aut nidus diaboli, ne umquam culpam tuam celes aut defendas. Cor tuum semper pateat abbati tuo, et ubicumque sis, non solum corpus tuum, sed etiam cogitationes tuas in conspectu eius esse existima. Et
 21 hoc fac et cogita, quod coram eo facere et cogitare non erubesceres. Si hoc feceris, ita fugiet diabolus habitaculum pectoris tui, sicut fur vitat domum illius, qui eum nec celare vult nec defendere. In domum namque
 24 illius furta sua fur attrahit, a quo se aut abscondi aut defendi confidit. Si autem hoc quod dico in usu habueris, tunc spiritus sanctus in te habitationem suam faciet, nec corripitur nec expelletur a superveniente iniquitate,
 27 sed bonus usus tuus per illum a se repellet omnem iniquitatem. Quae res in tantam tibi convertetur delectationem, ut nihil dulcius, nihil umquam existimare possis iucundius. Hoc autem quod dico intelligere non poteris,
 30 nisi in quantum ipso opere experiri volueris.

Multa bona domnus abbas mihi de adolescentia tua retulit, sed unum addidit quod mihi placere non potuit. Iudicas enim melius quod tuus sensus
 33 eligit, quam quod oboedientia exigit. Cum enim scribendi habeas scientiam, mavis aliud quod tibi melius videtur, quam scribere per oboedientiam. Certus ergo esto quia melior est una oratio oboedientis quam decem millia orationum contemnens. Moneo itaque te ut filium carissimum et dilectum dilectorem meum, ut oboedientiam in omnibus actibus tuis praeferas, et ea quae supra dixi perpetua memoria teneas et opere complere efficaciter studeas.
 39 Omnipotens deus suae gratiae benedictione te in omnibus semper dirigat et ab omni malo custodiat. Amen.

19-20 existima] Cf. *Reg. s. BENEDICTI*, c. 7 (lin. 134 ss.). 25-26 habit. suam] Cf. 2 Tim. 1, 14.

17 in mente] in corde C igitur] ergo C 20 sed etiam] sed et M 23 eum] illum M 29 existimare] aestimare F existimare possis] aestimes esse M
 30 in quantum] quantum M 31 mihi om. M 34 mavis] maius C melius om. C 35 quia] quod C 35-36 orationum om. M 36 te om. M 36-37 et dilectum dilectorem tuum om. FM 37 tuis om. C 39-40 Omnipotens-Amen] Vale F; om. M

233.

Ad BERNARDUM monachum Cestrensem.

Docet eum maioris meriti esse unicam vapulationem ex oboedientia quam innumeras ex propria sententia.

ANSELMUS archiepiscopus: BERNARDO, monacho coenobii Sanctae Werburgae, salutem et orationem.

Audivi a domino abbate tuo quod maioris meriti iudicas, cum monachus se aut verberat aut ab alio se verberari postulat, quam cum in capitulo ex praecepto praelati, non ex sua voluntate vapulat. Quod non ita est, sicut existimas. Illud enim iudicium quod sponte sibi aliquis indicit, regale est. Illud vero quod per oboedientiam in capitulo sustinet, monachicum est. Alterum est ex sua voluntate, alterum ex oboedientia, non ex sua voluntate. Illud quod regale dico, saepe sibi reges et superbi divites fieri praecipunt. Illud vero quod monachicum dico, non praecipientes sed oboedientes suscipiunt. Regale tanto levius est, quanto voluntati sustinentis concordat. Monachicum autem tanto gravius, quanto a voluntate patientis discordat. In regali iudicio ostenditur sustinens esse suus, in monachico probatur non esse suus. Nam quamvis rex aut dives, cum sponte vapulat, se peccatorem humiliter ostendat: nulla tamen alterius hominis iussione huic humilitati se patiens subderet, sed iubenti omnibus viribus resisteret. Cum autem monachus ex sententia praelati in capitulo humiliter flagellis se subicit, tanto maioris meriti hunc esse veritas iudicat, quanto magis et verius se quam ille humiliat. Ille namque se soli deo humiliat propter peccatorum conscientiam, iste vero etiam homini propter oboedientiam. Humilior autem est qui et deo et homini propter deum se humiliat, quam qui soli deo et non humanae iussioni

Ad Ep. 233: Data, ut videtur, simul cum duabus epistolis praecedentibus. 1 BERN.] In catalogo Beccensium n. 130 (?). 4-5 vapulat] Cf. *Regul. s. BENEDICTI*, c. 45 (lin. 7; cf. etiam *Luc. 12, 47 s.*).

Ep. 233 (prius III, 50) coll. cum *LPEVFM*; e *cod. Duacensi 352, s. XII. (= X)*, praecipuas solummodo lectiones excepi 1 BERN.] .B. *FM* 1-2 coenobii S. Werb. om. *F* coenobii, orationem om. *M* 3 a domno *FMX* 4 aut² bis *M* postulat] expetit *M* 7 monachicum est] est om. *M* 8 alterum²] est add. *X* 12 autem] vero *X* 13 iudicio om. *M* comprobatur *M* 18 magis et] et om. *MX* ille] scilicet rex vel dives ab alia manu addit. *E* 19 ista *C* 20 etiam om. *X* est om. *V*

se humiliat. Ergo si » qui se humiliat, exaltabitur «; qui se magis humiliat, magis exaltabitur.

24 Quod autem dixi, cum monachus vapulat, hoc a sua voluntate discor-
dare, non ita intelligas, quasi nolit hoc oboedienti voluntate patienter por-
tare, sed quoniam ex naturali appetitu carnis dolorem nollet tolerare. Quod
27 si dicis: non tam fugio publicam vapulationem propter dolores, quos et se-
crete sentio, quam propter verecundiam: scito quia ille fortior est, qui hanc
quoque sustinere gaudet propter oboedientiam. Certus ergo esto quia maio-
30 ris meriti est una vapulatio monachi tolerata per oboedientiam, quam innu-
merabiles acceptae per propriam sententiam. Sed cum talis est monachus, ut
et semper habeat cor paratum sine murmuratione per oboedientiam vapulare:
33 tunc sive secrete sive publice vapulet, magni meriti eum debemus iudicare.

234.

Ad IOHANNEM praepositum canonicorum de Monte S. Eligii.

Commendat clericum regularem NORMANNUM, qui aliquanto tempore apud eos conversari desiderat, ut ordinem et consuetudines eorum cognoscat.

ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis: amico suo IOHANNI, patri canonicorum de Monte Sancti Eligii, et congregationi sub illo deo
3 servienti salutem.

Clericus iste, natione Anglus, nomine NORMANNUS, de quadam ecclesia, in qua noviter sunt congregati clerici, qui regulariter vestro more
6 vivere volunt, venit ad vos desiderans vobiscum aliquanto tempore, quanto vobis placuerit, conversari, quatenus vestro ordine et vestris consuetudinibus instrui possit in servitio dei ad suam et aliorum utilitatem. Qui quoniam
9 noster familiaris est, ne aliquis suspicetur eum alia causa peregrinari: rogat litterarum nostrarum testimonio notificari, et nostra notitia et prece apud vos ad hoc quod desiderat adiuvari. Quamvis ergo de vestra religione nihil
12 nisi sola dilectione meruerim, tamen, quia de vestra conversatione et bene-

Ad Ep. 234: 2 de Monte S. Eligii] Atrebat] (= Arras) sito.

27-28 secreto X 28 propter] per X 31 sententiam] voluntatem X 32
et semper] et om. FM 33 iudicare] Valete add. X Ep. 234 (prius IV, 8)
coll. cum LPEC 2 patri] priori C eligi E 12 meruerimus C

volentia confido, quoniam religiosorum est ad religionem volentes proficere libenter, cum opportunitas se exhibet, instruere: precor ut ei, quantum vobis opportunum erit, concedatis, sicut postulat, in vestra conversatione remanere. 15

235.

Ad BALDEWINUM regem Hierosolymorum.

Gratulatur ei ad dignitatem regis Terrae Sanctae, et ut libertatem ecclesiae noviter resuscitatae servet eum hortatur. – Commendat RAINERIUM, latorem epistolae.

BALDEWINO, gratia dei regi Ierusalem, carissimo domino: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, per regnum terrenum ad caeleste sublimari. 3

Benedictus deus in donis suis et »sanctus in omnibus operibus suis«, qui vos ad regis dignitatem sua gratia in illa terra exaltavit, in qua ipse dominus noster IESUS Christus, per se ipsum principium Christianitatis seminans, ecclesiam suam, ut inde per totum orbem propagaretur, novam plantavit, quam propter peccata hominum iudicio dei ab infidelibus diu ibidem oppressam, sua misericordia nostris temporibus mirabiliter resuscitavit. Ego 9 itaque, memor magnae dilectionis et beneficiorum, quae in patre et matre vestra et filiis eorum erga me sum expertus: exprimere scribendo nequeo quantum de gratia dei, quam in fratre vestro et vobis, eligendo vos ad illam dignitatem, ostendit, gaudeo, et quanto affectu ut vos, qui fratri successistis, non tam vobis quam deo regnare studeatis desidero. 12

Unde, mi carissime domine, etiamsi mea exhortatione non egeatis, tamen ex cordis abundantia ut fidelissimus amicus precor vos, moneo, obsecro et deum oro, quatenus sub lege dei vivendo voluntatem vestram voluntati 15

Ad Ep. 235: Scripta circa a. 1102. 1 BALD.] Rex a d. 25. Decembris a. 1100 ad a. 1118. 4 in donis suis] Cf. benedictionem mensae post coenam. in oper. suis] Ps. 144, 13. 10 in patre et matre] EUSTACHIO II., comite Bononiae-supra-mare (+ ca. a. 1070), et uxore eius, s. IDA (cf. Ep. 82, et saepius). 16 ex cordis abundantia] Cf. Matth. 12, 34.

Ep. 235 (prius IV, 9) coll. cum LPECFM 1 Balduino CM Bald. F 1-2 ANS.] .A. PFM 2 cant. FM 4 et s. i. o. o. s. M 12 eligendo vos] eligendis M 13-14 successistis (successistis in margine a poster. manu addit.) F

18 dei per omnia subdatis. Tunc enim vere regnatis ad vestram utilitatem, si regnatis secundum dei voluntatem. Ne putetis vobis, sicut multi mali reges faciunt, ecclesiam dei quasi domino ad serviendum esse datam, sed sicut 21 advocato et defensori esse commendatam. Nihil magis diligit deus in hoc mundo quam libertatem ecclesiae suae. Qui ei volunt non tam prodesse quam dominari, procul dubio deo probantur adversari. Liberam vult deus 24 esse sponsam suam, non ancillam. Qui eam sicut filii matrem tractant et honorant, vere se filios eius et filios dei esse probant. Qui vero illi quasi subditae dominantur, non filios sed alienos se faciunt, et ideo iuste ab haereditate et dote illi promissa exhaeredantur. Qualem illam constituetis in regno 27 vestro in hac nova resurrectione, talem illam diu suscipient et servabunt in futura generatione. Quod autem ego vobis persuadere desidero, oro deum 30 omnipotentem, ut ipse persuadeat, et sic vos in via mandatorum suorum deducat, ut ad gloriam regni caelestis perducatur. Amen.

REINERIIUM, latorem praesentium, qui se de vestra nutritura esse 33 cognoscit, celsitudini vestrae commendo. Et quia mecum diu conversatus de domo nostra, ubi se sua strenuitate et bonis moribus valde amabilem fecit, ad vos vadit: precor ut dominum dilectum, quatenus apud vos melius illi 36 sit propter amorem nostrum. Valete.

23-24 ancillam] Cf. Gal. 4, 22-31.

30-31 deducat] Cf. Ps. 118, 35.

20 esse om. M 21 esse om. M 23-24 esse deus C 25 illi] ei FM
 26 alienos] alios P se om. FM ficiunt L (faciunt corr. ex ficiunt E)
 27 constitueritis M 29 persuadere] suadere FM (rasura in F) 31 perducat] producat P Amen] om. M; paragraphus in LP (in E erasum) 32-36 REINERIIUM - nostrum om. FM 36 Valete om. M

236.

Ad STEPHANUM archidiaconum Wentoniensem.

Ei mandat, ut prohibeat abbatissam et moniales de Rumesei a cultu cuiusdam defuncti, et ut praecipiat, ut istius filium a villa propellant.

ANSELMUS archiepiscopus: STEPHANO archidiacono salutem et benedictionem.

Mando vobis, ut eatis ad Rumesei et dicatis, dicendo praecipiat³ domnae abbatissae et sanctimonialibus ex nostra parte et ex parte episcopi Wintoniensis et vestra, ut, si nolunt me prohibere illis divinum officium facere, tunc ex toto prohibeant ut nullus honor, qui alicui sancto debet exhiberi, exhibeatur ab illis aut permittant ab aliquo exhiberi mortuo illi, quem quidam volunt pro sancto haberi. Filium autem ipsius mortui propellite a villa nec amplius conversetur in illa.

9

237.

Ad ATHELITS abbatissam et moniales de Rumesei.

Ipsis eadem praecipit.

ANSELMUS archiepiscopus: filiae carissimae, domnae abbatissae ATHELITS, et sanctimonialibus sub ea Christo famulantibus salutem et benedictionem.

3

Ad Ep. 236: Scripta videtur ante concilium Lundoniense a. 1102 (cf. Statuta concilii [*Hist. Nov.* 143; 439]: Ne quis temeraria novitate corporibus mortuorum aut fontibus aut aliis rebus, quod contigisse cognovimus, sine episcopali auctoritate reverentiam sanctitatis exhibeat). 1 STEPH.] Archidiaconus Wentoniensis. 3 Rumesei]

In diocesi Wentoniensi, ca. a. 965 fundatum. 7 mortuo illi] Secundum PICCARD (*PL* 159, 83) agitur de comite VALDEOSO, quem WILLELMUS I. ob suspicionem coniurationis capite damnavit.

Ad Ep. 237: Missa eodem fere tempore quo Ep. praecedens. 2 ATH.] Abbatissa de Rumesei Wentoniae sito (cf. Ep. 276, in qua vocatur abbatissa Wintoniensis).

Ep. 236 (prius III, 51) coll. cum LPEVC 5 Wintoniensis C **Ep. 237** (prius IV, 10) coll. cum LPEC 2 ATH.] Anhelitis C

Si vos multum non amarem, multum vos increparem, quia, postquam vos ipsae ad me nuntium vestrum misistis et de illo mortuo, quem quidam
 6 volunt pro sancto haberi, quid vobis faciendum esset nostrum consilium
 requisistis, in consilio nostro non stetistis, sed insuper praecepto nostro
 inoboedientes exstitistis. Quapropter mandans praecipio vobis ut, si a divino
 9 officio suspendi non vultis, omnem amodo honorem cuivis sancto debitum
 illi mortuo auferatis, et ei nec oblationem faciatis nec factam ad opus vestrum
 suscipiatis. Filium autem eius, qui ad tumbam ipsius decumbit et ibi moratur,
 12 a villa depellite, nec ei amplius aliquam inibi facultatem manendi relinquite.
 Valete.

238.

Ad GERARDUM archiepiscopum Eboracensem.

Inducias ab episcopis concessas in causa illius, qui mulierem velatam in uxorem sibi assumpsit, apud populum in infamiam conversas esse ideoque se diem causae definiendae in Octavam Nativitatis MARIAE ponere significat.

ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariæ: GERARDO, archiepiscopo Eboracensi, salutem.

3 Notum facio, dilecte mi, reverentiae vestrae quia induciae de causa
 illius, qui mulierem velatam in coniugium sibi copulare praesumpsit, quas
 dedit episcopus Lundoniae vestra instantia, me favente, in tantam infamiam
 6 conversae sunt mihi et vobis et omnibus quorum consensu datae sunt, apud
 Lundonienses et apud omnes qui hoc audiunt, ut nullus hoc nisi religioso
 carens pudore, si fugere valet, tolerare queat. Desperant etiam ullum bonum
 9 aliquando proventurum ecclesiae dei per illos episcopos, qui in tam execra-
 bilis sceleris protelationem consentire potuerunt. Quapropter decet nos, im-
 mo necesse est omnibus nobis qui in hoc consensimus, si tam indecenti

Ad Ep. 238: Scripta aliquamdiu ante d. 15. Septembris; fortasse a. 1102.

4 amarem] amorem P 10 factam] futuram (frām) C (in L rasura) **Ep. 238**
 (prius III, 52) coll. cum LPEVC 3 mi] mihi P

improperio subiacere nolumus, quatenus dies eiusdem causae definiendae 12
constituatur celerius, in quo praesentiam nostram et vestram, aut si hoc esse
nequit, aliquam rationabilem ex nostra et similiter ex vestra parte personam
adesse cupimus. Quem diem in Octava die Nativitatis sanctae dei genitricis 15
MARIAE, quamvis nobis nimis longinqua propter praedictam causam sit,
tamen, quia cognosco vos velle interesse, ponimus. Quippe nec episcopus ad
quem causa pertinet vellet, si ego vellem, nec ego vellem, si ille vellet hoc 18
differre diutius, si deus nos ab omni impedimento defenderit. Nam tantum
post colloquium nostrum didicimus de rei veritate, ut, si acceleramus quod
differre proposueramus, nulla notandum hoc sit in tali negotio levitate. 21

239.

Ab HILDEBERTO episcopo Cenomannensi.

Eum precatur, ut sermonem de processione spiritus sancti, quem in concilio
Barensi habuit, scriptis mandet.

*Venerabili patri et cum honore nominando domino ANSELMO, Can-
tuariensi archiepiscopo: frater HILDEBERTUS, Cenomannensis episcopus,
salutem.* 3

*Familiale est sapienti tolerare nescientem. Hinc est quod inscientiam
meam aperire non timui, quia erat cum sapiente colloquium. Eam, ni fal-
lor, et scientia vestra erudiet et caritas supportabit. Felicem me, inquam, 6
si meruissem vel praesens instrui vel tamquam familiaris epistolam suscipe-
re destinatam. Hoc autem mihi locus invidet, nec aliter salutationis indul-
sit obsequia, nisi prius orbis dimidium consultarem. Oportet enim maris et 9*

Ad Ep. 239: Scripta non ante a. 1101, quo HILDEBERTUS in Italiam profectus
est. 2 HILD.] Ex monacho Cluniacensi episcopus Cenomanensis (= Le Mans)
a. 1097-1125, postea archiepiscopus Turonensis (+ a. 1133). 4 nescientem] Cf.
2 Cor. 11, 19. 9 orbis dimidium] HILDEBERTUS in Italia moratur.

12 improperio] improbrio C (corr. ex inproprio V) 19 differre P **Ep. 239**
(prius III, 160) coll. cum D; cod. Trecensi 513, s. XII. (= I); Vatic. lat. 6024,
s. XII. - XIII. (= V^a); PL 171, 216 s. (= p); PL 159, 195 s. (= g) 1-3
Venerabili - salutem] om. IV^a Anselmo archiepiscopo p Hildebertus episcopus
Anselmo, Cantuariensi episcopo g 5 timeo g ni] nisi Ip 8 invidet mihi
locus I 9 obsequium p

aeris explorare clementiam, si quem iudicamus in Anglia salutandum. Ceterum incommoda separationis caritatis copula supplentur, quae neminem patitur esse nobis absentem, neminem non familiarem. Ea nihil est diffusius. Par enim latitudo est et caritatis et mundi. Caritas amplectitur, quidquid oceanus. Caritas in sacrario dilectionis et amicam colligit in deum et inimicum propter deum. Eadem diligere non desinit, cum diligere desinatur. Omnes habet praesentes, omnes affines. Quibus non potest obsequio, subvenit affectu. Absit igitur, ut publicum caritatis beneficium maris mihi fluctibus auferatur, cum scriptum sit: »aquae multae non potuerunt extinguere caritatem«. Facile enim est, ut diversi cultores littoris caritas uniat, quae unam rempublicam terram fecit et caelum. Huius itaque fiducia iniecta est mihi praesumptio inquirendi atque postulandi quod impensum non minuet erogantem. Si votorum summa quaeritur, sequens illam pagina declarabit.

Apulorum relationibus didici vos in concilio Barensi sermonem habuisse de spiritu sancto, quem calumniosa Graecorum versutia a filio minime procedere fabulatur. Quod igitur adversus hanc illorum dementiam in praefato promulgastis concilio, succincto tractatu deprecor adnotari. Et quia ipsi Latinorum patrum testimonia non suscipiunt: his auctoritatibus opus flagitatum munire non taedebit, quas Graeca calliditas et suas fateatur et nostras. Magna quidem, beate pater, postulo, sed quae pariter et suscipienti proficiant et danti. Nobilis enim possessio est scientia, quae distributa suscipit incrementum, et avarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabatur. Conservet nobis dominus sanctitatem vestram, et videant vos oculi mei, antequam moriar.

14-15 propter deum] Cf. GREGORIUS Magnus, *Hom. 27 in Ev.*, c. 1 (PL 76, 1205).
 18-19 caritatem] Cant. 8, 7. 23 Apul. relationibus] Cf. supra. Barensi] Habito a. 1098, mense Octobri. 32-33 moriar] Cf. Tob. 10, 11.

10-11 Ceterum] talis add. p	11 supplevit p	12 nobis] vobis DIg	nobis
esse V ^a absentem nobis p	17 mihi maris p	18 poterunt Dp	19 est
enim g quae] qui D	20 iniecta] invecta p	21 mihi om. V ^a	quod]
id quod g minuit p	22 illa p	23 Apulorum (corr.) D	Appulsorum p
26 promulgasti DV ^a g	succincto I	annotari IV ^a	quia] quae g
26 promulgasti DV ^a g	31 avara V ^a		30 scientiae g

240.

Ab eodem.

Gratias agit pro misso tractatu *De processione spiritus sancti*.

Venerabili Cantuariæ archiepiscopo, gloria et honore dignissimo ANSELMO: HILDEBERTUS, humilis Cenomannorum sacerdos, salutem et orationes in domino JESU Christo. 3

Et dies laetus et vultus solemnes cum tuo mihi tractatu, sanctissime pater, accesserunt. Susceperam prius benedictionem tuam, servus ego, servus tuus, et egit gratias domino deo et tibi devotus affectus, affectus 6 meus. Humanum quidem fuit subvenire proximo per caritatis affectum, sed divinum fidem defendere catholicam per inhabitantem in te spiritum sanctum. Utrumque autem operatus est unus ille atque idem spiritus, vo- 9 lens tibi virtutum exuberare gratiam, quem suae processione a filio reservabat defensorem. »In malevolam« enim »animam non« poterat introire »sapientia, nec« habitare »in corpore subdito peccatis«. Unde dignum 12 fuit, ut advocatus veritatis exemplum praetenderet religionis. Talis etiam pastoralibus excubiis congruebat, cui nihil deesset ad plenitudinem iustitiae, nihil ad integritatem doctrinae. Beatum sane pectus, quod virtutum con- 15 ventus reverendum sibi penetrabile consecravit. Inde velut ex adytis divina prodeunt oracula, nihilque aliud sacra verba profitentur quam caelestis

Ad Ep. 240: Scripta aestate fere a. 1102 (cf. *Rev. Bénédictine*, 1932, p. 347 s. - *Rev. des Sciences religieuses*, 1936, p. 129 ss.). 8-9 sanctum] Cf. Rom. 8, 11. 11-12 peccatis] Cf. Sap. 1, 4.

Ep. 240 (prius III, 53 et 161) coll. cum LPEVCFMD; cod. *Trecensi* 513 (= I); *Vaticano lat.* 6024, s. XII. - XIII. (= V^a) 1 VEVERAB. P 1-3 Venerabili - Christo om. IV^a Venerabili cant. archiepo A. Hildebertus (.I. F; h. D) cenom. eps. sal. FMD 2 ildebertus L (ex hildeb. corr.) PC 4-5 sanctissime pater] pariter DIV^a 6 egi V^a domino om. I 7 caritatis] compassionis V 8 in te] in se V^a 9 operatus est] operatur V^a 10-11 defens. reservabat V^a 11 introire non poterat V^a 12 nec] non M habitare etc.] i. (= inhabitare?) c. s. p. sic abbrev. MD 13 etiam] praeterea I 15 sane om. M 16 ex abditis I 17 verba] labia V^a

18 *interpretem voluntatis. Eorum me saepius recordantem stupor opprimit, et miratus nostri temporis hominem talia posse, calamo »scribae velociter scribentis« omnia confiteor ascribenda, cum psalmista dicens: »a domino factum*
 21 *est istud, et est mirabile in oculis nostris«.*

Vale, sanctissime pater, sciens quia desiderat anima mea videre te, non aegre latura ventos aut pelagus, dummodo liceat consilium salutis accipere abs te, quod nusquam esse credo, nisi sit apud te.

241.

Ad HILDEBERTUM episcopum Cenomannensem.

Gratias agit de litteris et munere. – Mittit quaedam sua opuscula.

ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis: ILDEBERTO, domino et reverendo coepiscopo Cenomannensi, salutem temporalem et aeternam.

3 Litterae vestrae sanctitatis valde me vobis debitorem reddunt, non quia me supra me extollunt, sed quoniam immensam dilectionis erga me sinceritatem ostendunt. Si enim propter deum, ut illi placeamus, inimicos:
 6 multo magis, ne illi displiceamus, diligere debemus amicos. Quapropter, si aut nullam aut minorem dilectionem vobis retribuo, iniustum in mea conscientia me iudico. Sicut igitur hanc volo vitare iniustitiam, sic vestram
 9 amplecti desidero amicitiam. Fateor etiam quia, si mihi esset possibile, vos ad duplum quam me diligatis, deberem diligere, quia vos me praevenistis amore, quod probastis munere. Nam quoniam immeritum dilexistis, non
 12 minus debeo rependere; et sicut datis exemplum, tantumdem gratis debeo impendere.

19-20 scribentis] Cf. Ps. 44, 2.

20-21 nostris] Ps. 117, 23.

Ad Ep.

241: Responsio ad Ep. superiorem.

18-20 et miratus - confiteor (*in L insert.*) et dum singula diligenter intueor, omnia spiritui sancto confiteor *I* 19 scribae] scribere *LPE* 19-20 velociter - dicens] velo (!) *P* 20 ascribenda] *hic deficit M* 20-21 A domino f. e. i. et e. m. i. o. n. sic abbrev. *FV^a* 22-24 Vale - apud te] Vicem mihi, pater sancte, rependes, si tuarum participem me feceris orationum *DI* 22 pater sanctissime *F* 22-24 sciens - apud te *om. F* 23 latura] latera *C* **Ep. 241 (prius IV, 11)** coll. cum *LPEC* 1 *ILD.*] .h. *M* 3 debitorem] denotum debitorem *M* 9 desidero] volo *M* 10 diligitis *M*

Quoniam significastis vobis placere hoc quod de opusculis nostris vidistis, praesumimus vobis mittere quaedam, quae, ut puto, nondum vidistis. 15

242.

A MATHILDE regina Anglorum.

Sollicita de eius incolumitate eum hortatur, ut ieiuniis suis modum imponat.

Venerando patri ANSELMO, Anglorum primae sedis archiepiscopo, Hibernorum omniumque septentrionalium insularum, quae Orcades dicuntur primati: MATHILDIS, dei gratia Anglorum regina, humillima eius ancilla, praesentis vitae cursu feliciter peracto ad finem, qui Christus est, pervenire.

Quod cotidianum ieiunium iam verteris in naturam, ut nulli fere dubium, ita nec mihi est ignotum. Quodque magis admiror, plurium proborum frequenti relatione didici te post longa ieiunia non natura postulante, sed quolibet e famulatio suadente cibum sumere solitum. Hunc etiam tanta frugalitate sumere non ignoro, ut magis naturae ius proprium demendo vim fecisse quam legem solvisse videaris. Unde cum multis tum mihi maxime metuendum est, ne tanto patri, cuius sum beneficiis obligata, tam forti dei athletae et humanae naturae victori, cuius indeficienti vigore pax regni sacerdotiique dignitas firmata est atque defensa, tam fideli tamque prudenti dei dispensatori, cuius sum benedictione in legitimum matrimonium sacrata, cuius ordinatione in terreni regni dignitatem sublimata, cuius precibus in caelesti gloria deo annuente coronanda, corpus tabescat, fenestrae visus, auditus caeterorumque sensuum obturantur, vox spiritualium aedificatrix raurescat, et quae canorum ac dulce dei verbum decore, quieto remissoque sermone dispensare consueverat, id tanto remissius in futurum

14-15 vidistis] Scil. *De processione spiritus sancti* (cf. Ep. praecedentem). Ad Ep. 242: Scripta videtur a 1100-1103. 3 MATH.] De ea cf. Ep. 177. 4 est] Cf. Apoc. 1, 8; 21, 6; 22, 13. 15 dispensatori] Cf. Luc. 12, 42; Tit. 1, 7. 15-16 sacrata] D. 11. Novembris a. 1100 (cf. ad Ep. 177).

14-15 Quoniam - vidistis] Vale F; om. M 14 Quoniam] si add. C Ep. 242 (prius III, 55) coll. cum LPEV 1 ANS.] .A. P 2 septentrionalium PV orchades EP horcades V 3 gratia dei P 7 adminor P 8 te] et (expunctum) V 9 te] vos; et sic omnia in persona plurali V 18 obturentur V

21 exsequatur, ut quosque aliquantisper a te remotiores audientia ipsius vocis
privatos, fructu etiam vacuos derelinquat.

Noli igitur, bone pater et sancte, noli tam intempestive corporis viri-
24 bus inedia destitui, ne orator esse desistas. Quia, ut TULLIUS ait in libro
quem De senectute conscripsit: ,oratoris munus non ingenii est solum, sed
laterum etiam et virium'. Quo perditum ire festinat tanta animi tui cele-
27 ritas, tanta memoria praeteritorum futurorumque providentia, tot artes, tot
scientiae, tot inventa, tanta rerum humanarum notitia divinitatisque cum
simplicitate prudentia? Considera multitudinem talentorum quae tibi dives
30 dominus tuus dedit, quid commiserit, quid exigat. Deduc bonum in commu-
ne, quod deductum pulchrius elucescat, atque cum multiplici fenore repor-
tetur ad dominum. Ne fraudes tibi ipsi invicem. Sicut necessarius est ani-
33 mae spiritualis potus et cibatus, ita et corpori corporalis. Comedendum igi-
tur est tibi et bibendum, quoniam grandis tibi dei nutu huius vitae restat
via, grandis messis seminanda, sarculanda ac metenda, in horreoque domini,
36 »quo fur non« appropiet, collocanda. Vides operarios in maxima messe
paucissimos. In multorum labores introisti, ut multorum lucra reportes. Memen-
to vero te vicem IOHANNIS apostoli et evangelistae, cari domini, tenere,
39 quem dominus ipse supervivere voluit, ut virginis matris virgo dilectus curam
gereret. Suscepisti gerendam curam matris ecclesiae, de qua cotidie pericli-
tabuntur, nisi magna curiositate succurreris, fratres Christi et sorores, quos
42 pretio proprii sanguinis redemptos ipse tibi commendavit. Pasce, o pastor
tanti domini, gregem eius, ne pastus inops deficiat in via. Sit tibi in exem-
plo sacer sacerdos MARTINUS, vir ineffabilis, qui cum caelestem requiem
45 paratam sibi praevideret, laborem tamen pro populi necessitate se non recu-
sare dicebat.

25-26 De senectute] C. 9, n. 28. 29-30 exigat] Cf. Matth. 25, 14 ss.; Luc.
19, 12 ss. 34-35 via] Cf. 3 Reg. 19, 7. 35-36 appropiet] Cf. Luc. 12, 33.
collocanda] Cf. Matth. 13, 30. 36-37 paucissimos] Cf. Matth. 9, 37; Luc. 10, 2.
39 voluit] Ioh. 21, 20 ss. 39-40 gereret] Cf. ibidem, 19, 26 s. 43 defi-
ciat in via] Cf. Marc. 8, 3. 44-46 dicebat] Cf. Antiphonas 2. et 3. ad Vesperas
et Laudes Officii s. MARTINI, in *Breviario Monastico*.

25 senectute P 32 ipsi invicem] in invicem P 33 cibus corr. ex cibatu V 35
in horreo quoque V 37-38 Memento] hic etiam V personam singularem habet
41 curia corr. ex curiositate (iositate expunctum; a suppl. a manu moderna) V suc-
curreris] sic prima manus in V; a manu moderna corr. in succurratis V 46 di-
cebat] paragraph. mss.

Novi quidem te multorum exemplis, multis scripturarum testimoniis ad ieiunium invitari, confirmari. Assidua quippe lectio tibi frequentur suggerit, 48 qualiter post ieiunium HELIAM corvus, HELISEUM vidua, DANIELEM angelus per ABACUC paverit; qualiter MOYSES tabulas digito dei scriptas ieiunio accipere meruerit, fractasque per idem recuperaverit. Gentilium 51 quoque te exempla plurima ad parsimoniam invitant. Nemo est enim qui ignorat te legisse PYTAGORAE, SOCRATIS, ANTISTENIS frugalitatem ceterorumque philosophorum, quos ut enumerare longum est, ita nec 54 praesenti opusculo necessarium. Veniendum est ergo ad novae legis gratiam. Christus IESUS qui dedicavit ieiunium, dedicavit et esum, vadens ad convivium nuptiarum, ubi in vinum aquam convertit; ad SIMONIS epulas 57 accedens, ubi a MARIA septem daemonibus eiectionis, spiritualibus eam ferculis primo pavit; ZACHAEI prandium non recusans, quem de potestate militiae saecularis retractum, ad caelestem militiam vocavit. Audi, pater, 60 audi PAULUM THIMOTHEO propter dolorem stomachi vinum bibere suadentem dicentemque: »iam noli aquam bibere, sed modico vino utere«. Ecce apostolus sanctum discipulum a proposito dehortatur ieiunio. Cui enim 63 dicit: »iam noli aquam bibere«, aperte denuntiat eum nihil aliud quam aquam ante bibisse. Imitare, quaeso, GREGORIUM lassitudinem defectumque stomachi cibi potiusque confortatione relevantem, doctrinae et praedicationi viriliter indeficienterque insistentem. Fac igitur quod ille fecit, ut pervenias ad quem pervenit, hoc est ad IESUM Christum, fontem vitae mentemque excelsum, cum quo de perenni gloria iam olim gavisus est, gaudet 69 gaudebitque in saecula saeculorum.

Valeat in domino sanctitas tua, meque fidelem tuam famulam te toto cordis affectu diligentem orationibus adiuuvare noli desistere. Et epistolam non ficta, sed fidei caritate et firma tibi a me missam suscipere, legere, audire atque exaudire dignare.

49 corvus] Cf. 3 Reg. 17, 4 ss. vidua] Cf. ibidem, 9 (pro HELIA erronee vocatur HELISEUS). 49-50 AB.] Cf. Dan. 14, 32 ss. 50-51 meruerit] Cf. Ex. 24, 18. 50-51 recuperaverit] Cf. ibidem, 34, 28. 56 ieiunium] Cf. Matth. 4, 2. 57 convertit] Cf. Ioh. 2, 1 ss. 57-58 accedens] Cf. Luc. 7, 36 ss. 58 eiectionis] Cf. Marc. 16, 9; Luc. 8, 2. 59-60 vocavit] Cf. Luc. 19, 2 ss. 61-62 utere] 1 Tim. 5, 23 (Vulg.: iam noli] Noli adhuc).

50 abbacuc V 51 recuperaverit] paragr. mss. 65 quaeso om. V lassitudine defectum corr. ex lassitudinem defectumque E 73 fictam V

243.

Ad MATHILDAM reginam Anglorum.

Gratias agit pro donis missis et pro litteris dilectionis plenīs. – Eam admonet, ut ecclesiam, sponsam Christi, honoret.

MATHILDAE, gloriosae reginae Anglorum, reverendae dominae, filiae carissimae: ANSELMUS archiepiscopus, debitum honorem, servitium, orationes et benedictionem dei et suam, quantum potest.

Gratias magnas ago vestrae largitioni, sed multo maiores, de qua munera procedunt, sanctae dilectioni. Quae etiam mihi pia sollicitudine instat, ut in alimentis sumendis corpori largius indulgeam, ne vox et vires ad curam iniunctam mihi deficient. Nam quoniam auditis me pro ieiunio totius diei, etiam si cotidie fieret, famem non sentire, timetis raucitatem et imbecillitatem mihi corporis evenire. Sed utinam tantum mihi sapientia et potestas quae competit suppetere, quantum vox et vires quas habeo, ad opus mihi iniunctum sufficerent! Licet enim sic possim sine famis molestia ieiunare, satis tamen possum et volo, cum debeo, quantum expedit corpus alimentis recreare.

Memor est benigna vestra dignatio in epistola sua quod per me sit vestra celsitudo in coniugium legitimum desponsata et ad regni sublimitatem me sacrante coronata. Verum cum de me, qui huius rei minister tantum fidelis, quantum in me fuit, exstiti, hoc tam benigne, tanta gratia recolitis: satis aestimari potest quantas Christo, qui huius doni auctor et largitor est, grates in mente persolvitis.

Quas si recte, si bene, si efficaciter ipso actu vultis reddere: considerate reginam illam, quam de hoc mundo sponsam sibi illi placuit eligere. Haec est quam »pulchram« et »amicam« et »columbam« suam vocat in scripturis, et de qua illi dicitur: »astitit regina a dextris tuis«. Haec est,

Ad Ep. 243: Respondet Ep. superiori.
passim. amicam] Ibidem, et passim.
14; 5, 2. 23 tuis] Ps. 44, 10.

22 pulchram] Cf. Cant. 1, 14; et
columbam suam] Cf. ibidem, 2, 10,

Ep. 243 (prius III, 57) coll. cum LPEV 2 ANS.] .A. P 11 enim
om. V 21 sponsam LPE

cui de eodem sponso suo Christo dicitur: »Audi, filia, et vide et inclina 24
aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concu-
piscet rex decorem tuum«. Quanto enim saecularium conversationem et pa-
tris sui, huius scilicet mundi, habitationem contemnendo obliviscitur, tanto 27
pulchrior conspectui sponsi sui et amabilior cognoscitur. Hanc quantum
dilexerit ipse probavit, cum se ipsum morti sponte tradere pro eius amore
non dubitavit. Hanc, inquam, considerate quomodo exsul et peregrina et 30
quasi vidua ad virum suum cum veris filiis suis gemit et suspirat, exspectans,
donec ille de regione longinqua, ad quam abiit »accipere sibi regnum«, veniat,
et eam ad regnum suum transferendo omnibus qui eidem amicae bona vel 33
mala fecerint, prout quisque gessit, retribuatur. Qui hanc honorant, cum illa
et in illa honorabuntur; qui hanc conculcant, extra illam conculcabuntur.
Qui hanc exaltant, cum angelis exaltabuntur; qui hanc deprimunt, cum 36
daemonibus deprimuntur. Hanc exaltate, honorate, defendite, ut cum illa et
in illa sponso deo placeatis et in aeterna beatitudine cum illa regnando
vivatis. Amen. Fiat.

39

244.

Ad IDAM comitissam.

*Se cum eius filio de ea locutum esse scribit. — Pro eius capellano LAM-
BERTO rogat, ne quid de praebendae suae beneficio, donec de Anglia redeat,
perdat.*

ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis: dominae et matri et filiae
carissimae, reverendae comitissae IDAE, salutem et benedictionem dei et
suam, quantum potest.

3

Rarissime vos salutat mea epistola, sed cotidie vos aspicit mea memo-
ria, et spero in deo quia numquam illa de corde meo delebitur. Cum filio
vestro locutus sum et precatus sum eum de vobis, sicut intellexi oportere, 6
et ipse mihi respondit se nihil libentius facere quam voluntatem vestram implere.

24-26 tuum] Ibidem, 11 s. 28-30 dubitavit] Cf. Eph. 5, 25. 32 regnum]
Cf. Luc. 19, 12. 33-34 gessit] Cf. 2 Cor. 5, 10.

Ep. 244 (prius III, 56) coll. cum LPEVC 4 Rarissime] Karissime prima
manus in VC, postea corr. in Karissima

Domnus LAMBERTUS, capellanus vester, qui moratur in Anglia pro
 9 vestro servitio, rogat et ego cum illo rogo, ne aliqua occasione, donec ad
 vos redeat, perdat aliquid de praebendae suae beneficio. Precamur etiam,
 ut hoc ipsum confratres eius canonicos precando moneatis. Quos simul nos
 12 ambo in hac schedula salutamus, et ut petitionem nostram admittant rogamus.

Omnipotens deus vos ab omni adversitate custodiat et desiderium
 vestrum semper dirigat, accendat et perficiat. Amen.

245.

Ad WILLELMUM monachum.

Eum monet ut, si velit servare suam dilectionem, quae ex deo sit, offensionem dei cavere conetur.

ANSELMUS archiepiscopus: dilecto filio suo WILLELMO salutem
 et benedictionem dei et suam.

3 **E**xpertus sum te magno et intimo affectu me diligere, et ideo non pos-
 sum tibi vicem dilectionis non reddere. Diligis me ut patrem in deo, cui te
 totum sine simulatione commisisti, et ego te ut filium, qui sincera dilectione
 6 te suscepi. A deo accepisti ut me sic diligeres, et ego a deo habeo ut te
 sic diligerem. Quoniam ergo ex deo est mutua nostra dilectio, non potest
 deleri, nec debet, nisi hoc faciat aliqua in deum offensio. Sicut ergo meam
 9 vis servare dilectionem, ita omni studio conare cavere dei offensionem. Di-
 ligo ut me diligas, sed plus diligo ut te ipsum diligas. Dilige te ipsum, et
 quantum ad dilectionem habeto me ipsum. Esto memor monitionis meae,
 12 et semper possessor eris dilectionis dei et sub illa meae. Nequeo tibi semper
 esse praesens; deus te custodiat qui ubique est praesens; moneo te ut semper
 illi sis praesens.

Ad Ep. 245: WILL.] Forsitan est ille monachus Cestrensis, ad quem Ep. 189.

11 confratres] cum fratres VC (in V a manu moderna corr. in confratres) 12 no-
 stram] vestram V 14 accedat P proficiat P **Ep. 245 (prius IV, 112)**
 coll. cum LPE

246.

Ad MATHILDAM reginam Anglorum.

Orat, ut studeat regem a consiliis principum avertere.

Dominae et filiae carissimae MATHILDAE, reginae Anglorum: ANSEL-
MUS, archiepiscopus Cantuariæ, fideles orationes et fidele servitium et
benedictionem dei et suam. 3

Gratias ago deo et celsitudini vestrae pro bona voluntate, quam erga
me habetis et erga ecclesiam dei, et oro deum omnipotentem, ut in sua di-
lectione vestram augeat devotionem, et sic vos in hoc faciat perseverare, ut 6
aeternam ab eo recipiatis retributionem. Oro etiam ut sic faciat vestram bo-
nam intentionem proficere, quatenus per vos cor domini nostri regis avertat
a consiliis principum, quae reprobat, et consilio suo, quod in aeternum ma- 9
net, adhaerere faciat. Consolationem et exhortationem vestram gratanter sicut
a domina et secundum deum amica accipio, quia de dei dilectione illam pro-
cedere intelligo. Si quid placet vestrae dilectioni mihi mandare, latori prae- 12
sentium sicut mihi ipsi viva voce secure potestis intimare. Omnipotens deus
omnes actus vestros dirigat et vos ab omni malo custodiat.

Ad Ep. 246: Scripta a. 1100-1103 (cf. Ep. 228). 5 erga eccl. dei] Cf. Ep. 243.
9 a consiliis principum] Cf. Ep. 228. reprobat] Cf. Ps. 32, 10. 9-10 ma-
ne:] Cf. ibidem, 11.

Ep. 246 (prius IV, 12) coll. cum LPE 1-2 ANS.] .A. P

247.

Ad IDAM comitissam.

Gratias agit pro liberalitate suis legatis Roma redeuntibus exhibita. - Eam absolvit a quadam culpa, quam se commisisse credit.

ANSELMUS archiepiscopus: dominae et matri et filiae carissimae, IDAE comitissae, salutem et benedictionem dei et suam, si quid valet.

³ Gratias ago celsitudini vestrae pro benignitate et largitate quam legatis nostris nuper Roma redeuntibus exhibuistis, sicut mihi et omnibus nostris facere soletis.

⁶ De hoc quod mihi per domnum IOHANNEM mandastis, nullam possum vestram culpam intelligere. Sed quoniam semper tutius est in huiusmodi magis timere quam confidere, laudo timorem vestrum, quia » beatus homo, qui semper est pavidus «. Et beatus IOB dicit: » Verebar omnia opera mea «. Solo igitur hoc timore et mali quod contigit per malos homines dolore, quem habuistis, credo vos deo, quantum ad vos pertinet, satisfacisse.

¹² Quoniam tamen scio quid desideretis, oro deum ut vos ab hoc et ab omnibus peccatis vestris absolvat et ad gloriae suae contemplationem perducatur. Amen. Unum psalterium pro omnibus peccatis vestris dicite secundum opportunitatem vestram.

Ad Ep. 247: Scripta videtur aestate a. 1102, si agitur de prima legatione; vel in Quadragesima a. 1103, si de altera. 3-4 legatis nostris] BALDEWINO et ALEXANDRO. 8-9 pavidus] Prov. 28, 14. 9-10 mea] Iob 9, 28.

Ep. 247 (prius III, 58) coll. cum LPEVFM 2 IDAE] .I. FM salutem - valet om. M et benedictionem - valet om. F 3-5 Gratias - soletis om. FM 4 nuper om. E 6 IOH.] .I. FM 7 semper om. M 8 magis] semper add. M 8-9 beatus homo] est add. M 9 qui s. e. p. M 11 pertinet] attinet M 13 vestris om. M perducatur] hic deficit M

248.

Ad ROBERTUM comitem Flandriae.

Laudat eum quod ab investitura abbatum se absteineat, et eum in hoc confortat.

Domino et in deo dilecto ROBERTO, comiti Flandriae: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, fideles orationes cum servitio.

Audivi quia quosdam de vestris abbatibus concessistis regulari electione 3 ordinari, ut investituram de manu vestra non acciperent. Unde gratias ago deo, cuius gratia cor vestrum ad hoc quod sibi placet direxit, et gaudeo pro vobis quia ecclesiasticis institutis ad Christianae religionis profectum va- 6 lentibus sine contradictione favetis. Cum enim hoc facitis, non homini sed deo oboeditis, et vos verum et fidelem filium ecclesiae dei et verum Christianum ostenditis, et vos esse de ovibus beato PETRO apostolo commen- 9 datis, cui deus claves dedit regni caelorum, monstratis. Certum quippe est quoniam, qui non oboedit Romani pontificis ordinationibus, quae fiunt propter Christianae religionis custodiam, inoboediens est apostolo PETRO, cuius vi- 12 carius est, nec est de grege illo, qui ei a deo commissus est. Quaerat igitur ille alias regni caelorum portas, quia per illas non intrabit, quarum claves PETRUS apostolus portat. 15

Gaudens itaque gratias ago vobis, et oro ut deus retribuat vobis, quia bonum exemplum aliis principibus datis, et omnes servos dei hoc modo ut orent pro vobis invitatis, et deum ad amorem et auxilium vestrum in vestris 18 negotiis invocatis. Precor, obsecro, moneo, consulo, ut fidelis animae vestrae, mi domine et in deo vere dilecte, ut numquam aestimetis vestrae celsitudinis

Ad Ep. 248: Scripta post a. 1100, ut videtur. 1 ROB.] ROB. II., comiti Flandriae a. 1097-1111. 9-10 commendatis] Cf. Ioh. 21, 15 ss. 10 caelorum] Cf. Matth. 16, 18. 14-15 portat] Cf. ibidem.

Ep. 248 (prius IV, 13) coll. cum LPEFM 1 ROB.] .R. FM ANS.]
 .A. PFM 8 filium eccl. dei et verum om. E dei om. FM 9 PETRO] .P. M 11 quoniam] quia M 12 PETRO om. M 14 regni caelorum] caeli M 16 et oro, ut d. retr. vobis om. E quia] qua P 18 et deum] et om. M 19 Precor] igitur et add. M 19-20 ut fidelis - dilecte om. FM 20 existimetis FM

21 minui dignitatem, si sponsae dei, matris vestrae ecclesiae amatis et defendi-
tis libertatem; nec putetis vos humiliari, si eam exaltatis; nec credatis vos
debilitari, si illam roboratis. Videte, circumspicite, exempla sunt in promptu;
24 considerate principes qui illam impugnant et conculcant: ad quid proficiunt,
ad quid deveniunt? Satis patet, non eget dictu. Certe qui illam glorificant,
cum illa et in illa glorificabuntur. Inter quos deus vos et coniugem vestram
27 et prolem vestram in praesenti et in futura vita annumeret. Amen.

249.

Ad CLEMENTIAM comitissam Flandriae.

Ei par meritum tribuit quod vir eius ab investitura se abstineat, eamque precatur, ut huic frequenter suggerat, ut non dominum, sed filium ecclesiae se probet.

ANSELMUS, quamvis indignus, archiepiscopus dictus Cantuariæ: dominae et filiae carissimæ CLEMENTIAE, reverendæ comitissæ, per diuturnam huius vitæ prosperitatem æternam futuræ mereri felicitatem.

Relatum mihi est quosdam abbates in Flandria sic constitutos, ut comes, vir vester, nullam eis manu sua daret investituram. Quod sicut non sine eius prudenti clementia, ita non esse aestimo factum absque vestra clementi prudentia. Tanto ergo de hoc vestro bono opere gaudeo, quanto vos ambos verius in deo diligo. Cum enim ea quæ religionis Christianæ sunt, concordi voluntate facitis, veros vos esse filios ecclesiae, sponsae dei, et fideles advocatos ostenditis. Non enim debent principes sponsam dei, matrem suam, si Christiani sunt, aestimare sibi datam in hæreditariam dominationem, sed a deo sibi commendatam, ut eius cohaeredes mereantur

Ad Ep. 249: Data simul cum Ep. præcedente. 2 CLEM.] Uxori comitis Flandriae ROBERTI II.

22 eam] illam FM 25 deveniunt?]? om. M; eras. in F 26-27 Inter -
Amen om. M 27 glorificabunt corr. ex glorificabuntur P **Ep. 249 (prius**
III, 59) coll. cum LPEVFM 1 quamvis indignus om. FM 2 CLEM.] .c. F
reverendæ om. FM 2-3 per diuturnam - felicitatem om. FM 4 sic om. FM
6 aestimo non esse F esse om. M vestra] vestrum LPE 8 relig.
Christ.] Christianæ legis M 12 sibi commendatam] sibi add. M

esse ad reverentiam et defensionem. Rex enim erat et quid ad principes pertineat intelligebat, qui principes volentes haereditate »sanctuarium dei« possidere sic maledicebat: »Deus meus, pone illos ut rotam et sicut stipulam ante faciem venti«. Et quae proxime sequuntur. Non haec loquitur DAVID, sed spiritus dei, filii DAVID, qui dixit: »Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt«. 18

Ad vos pertinet, reverenda domina et filia carissima, ut haec et huiusmodi viro vestro frequenter »opportune, importune« suggeratis, et ut non dominum sed advocatum, non privignum sed filium se probet esse ecclesiae consulatis. Certe sic erit potestas placens deo, et omnes actus eius dirigentur ab eo, et contra omnes adversarios eius erit cum eo. Monete eum, ut numquam adversetur legi dei, quia qui illi subditi non sunt, scriptura, 24 quae non mentitur, asserit illos indubitanter inimicos esse dei. Ne credat consilium contra consilium dei, quia »dominus« »reprobat consilia principum, consilium autem domini manet in aeternum«; et: »sapientia huius saeculi stultitia est apud deum«. Consilium autem domini est sacra scriptura et eorum quibus dixit: »qui vos audit, me audit« et ad Christianam religionem instituta. Haec moneat, haec consulat, rogo, viro suo comitissa 30 CLEMENTIA, ut et illum et illam ad regnum caelorum sublevet divina clementia. Sic fiat. Amen.

14-15 possidere] Cf. Ps. 82, 12 s. 15-16 venti] Ibidem, 14. 17-18 transibunt] Marc. 13, 31; Luc. 21, 33; cf. Matth. 24, 35. 20 importune] 2 Tim. 4, 2. 26-27 in aeternum] Ps. 32, 10 s. (Vulg.: in aetern. manet). 27-28 apud deum] 1 Cor. 3, 19 (Vulg.: saeculi] mundi). 29 audit] Luc. 10, 16.

14 et quid ad] quid V 15-16 ut r. et s. s. ante f. v. M 16 Et quae prox. sequuntur om. M 18 verba etc.] v. a. m. n. t. M 24 ut numquam] ne umquam M 26-27 cons. princ.] c. p. M 28 consilium autem d. m. i. (sic) M 29 et ad] et om. FM 31 CLEM.] .C. FM 32 Sic fiat. Amen om. FM

250.

Ad GERARDUM archiepiscopum Eboracensem.

Scribit se illas litteras, quarum publicatione GERARDUS eiusque socij discriminabantur, non transcripsisse nec alicui transcribendas ostendisse.

ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis: GERARDO, reverendo archiepiscopo Eboracensi, salutem.

3 Quamvis me talem nesciat mea conscientia, qualem me pingit vestra prudentia, tamen non debeo esse ingratus, quia bona quae de me dicitis, quam erga me habetis vobis persuadet benevolentia.

6 Quod me hortatur vestra dilectio, ne patiar neque velim vestram et sociorum vestrorum contumeliam, libenter accipio, nec sentio me eam aliquando aut quaesivisse aut voluisse. Nam litteras illas, de quarum publicatione hoc aestimatis contigisse, nec ego transcripsi nec transcribendas alicui ostendi, nec aliquis per me. Denique cum vobiscum loquar, confido in deo quia omnino me in hac re inculpabilem cognoscetis. Valet.

Ad Ep. 250: Scripta esse videtur a. 1102-1103, postquam episcopi legati testati sunt papam sibi aliter dixisse quam in epistola scripsisse (cf. *Hist. Nov.* 137 ss.; 435 s.). 6-7 et sociorum vestrorum] Episcoporum HERBERTI Theodfordensis et ROBERTI Cestrensis, qui legationi Romanae interfuerunt (cf. *Hist. Nov.* 132; 433).

Ep. 250 (prius III, 60) coll. cum *LPEV*

251.

Ad ROGERIUM abbatem et ROBERTUM ceterosque monachos S. Ebrulfi.

Intercedit intrusioni eorum in abbatiam S. Eadmundi, super cuius terras rex eos constituit. Se sperare regem sensum suum mutaturum esse scribit.

ANSELMUS, gratia dei archiepiscopus Cantuariæ: ROGERIO abbati et ROBERTO, filio comitis HUGONIS, et aliis monachis de monasterio Sancti Ebrulfi. 3

Nimis palam est, nec dissimulari ullatenus potest, quomodo ingressi estis coenobium Sancti Eadmundi, et qua violentia extorquere conamini electionem a fratribus eiusdem ecclesiae et assensum vestrae inordinatae voluntatis. Quod 6 quam irreligiose, quam contra monachicum propositum et contra *Regulam* sancti BENEDICTI, quam professi estis, et contra sacram scripturam, quae dicit: » nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur a deo «, et contra ipsum 9 deum faciatis: videt ipse deus, qui discernit inter pastorem et lupum rapacem.

Et quidem dominum meum regem prohibere nequeo, quin vos constituat super terrena; sed super animas, propter quas abbas et dicitur et constitui- 12 tur, nemo quemquam potest constituere, nisi quibus deus dedit potestatem ligandi atque solvendi. In meo primatu et archiepiscopatu est illa ecclesia, et proprie pertinent eius consecrationes ad archiepiscopum Cantuariæ, quem me 15 esse non ignoratis. Nihil igitur eorum quae ad me pertinent alicui vestrum umquam concessi aut concedo, immo oro deum et conabor, quantum adiu- vante deo potero, ut deus convertat cor domini mei regis ad hoc, quod deo 18

Ad Ep. 251: Scripta a. 1100-1102. 1 ROG.] Abbas S. Ebrulfi in Normannia a. 1091-1126. 2 ROB.] Eum rex a. 1100 abbatiae praefecit; a. 1102 a concilio Londoniensi remotus est (cf. *Hist. Nov.* 142; 438). De re, de qua agitur in hac epistola et in Ep. 252, 266, 267, 269, 271, cf. TH. ARNOLD, *Memorials of St. Edmund's Abbey*, Rolls Series (1890-1896), t. I, p. XXXVI et 355. HUG.] HUGO cognomento 'lupi', comes Cestrensis (cf. Ep. 231). ROBERTUS eius filius illegitimus erat. 9 a deo] Hebr. 5, 4 (Vulg.: Nec quisquam sumit sibi). 10 lup. rapacem] Cf. Matth. 7, 15; alluditur ad cognomen patris ROBERTI. 12 dicitur] Cf. *Reg. s. BENEDICTI*, c. 2 (lin. 1-2).

Ep. 251 (prius IV, 14) coll. cum LPE 1 aselmus (*litt. initial. deest*) P 6
inordinate P

magis placet et animae eius expedit, et faciat eum corrigere secundum voluntatem suam, si quid contra eam fecit.

- 21 Christiani estis sub Christiana lege, et sub monachica professione vos vivere profitemini. Si contra haec facitis, nec Christianos nec monachos vos esse aperte ipso opere fatemini. Certissimum autem est quia, si in hoc per-
24 severatis, contra praedictam professionem facitis. Moneo ergo vos ut Christianos et monachos, quatenus vos plus deum timere quam hominem ostendatis et ab incepta perversitate constanter desistatis. Quod si magis adversari deo
27 vultis quam hominibus, annuntio vobis quia deus adversabitur animabus vestris. Deus, cui dicitur: » tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor «: ipse videat et intueatur, si quas tribulationes fratribus eiusdem ecclesiae dein-
30 cepts feceritis.

252.

Ad monachos coenobii S. Eadmundi.

Laudat eos quod contra violentos nulla violentia restiterint, et vexatos consolatur.

ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariæ: fratribus et filiis carissimis, monachis coenobii Sancti Eadmundi, salutem et in tribulatione misericordiae
3 dei consolationem.

Laudo vos et gaudeo quia nulla violentia vobis violentiam ingerentibus restitistis, sed solius dei tuitioni et dispositioni vos commisistis. Utique in hoc
6 ipsi potius contra deum quam contra vos violenti fuerunt, et vos magis ad deum clamastis, ut aspiceret et iudicaret quod illi contra eum iniuste vobis fecerunt. Non miremini neque ultra modum turbetur cor vestrum, si tribu-
9 lationes in hac vita patimini, quia scriptum est: » oportet nos per multas tribulationes introire in regnum dei «; et gaudere debemus cum apostolo in tribulatione, » scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia probatio-
12 nem, probatio vero spem, spes autem non confundit «. Et sperare debetis

28 adiutor] Ps. 10, 14.

Ad Ep. 252: Scripta eodem fere tempore. 8

vestrum] Cf. Ioh. 14, 1, 27.

9-10 dei] Act. 14, 21 (Vulg.: per m. trib. oportet).

11-12 confundit] Rom. 5, 3 ss. (Vulg.: patientia autem).

23 si om. P

Ep. 252 (prius III, 61) coll. cum LPEVFM

1 Can-

tuariae om. M

2 in coenobio M

aedmundi F

edm. M

9 quia]

sicut add. M

9-10 oportet - dei] per multas t. o. n. i. in r. dei M

11-12

tribulatio p. o. p. pr. pr. vero spem, spes aut. non c. M

in deo, quia fidelis est nec patietur vos tentari supra quam ferre potestis.

Dei gratia non patimini propter aliquod crimen, quantum ad humanum pertinet iudicium, sed » propter iustitiam «; illi vero super vos se ingerunt 15 propter suam concupiscentiam. Cum stabitis pariter » ante tribunal Christi «, recipiet » unusquisque « » prout gessit « in corpore, » sive bonum sive malum «. Liquet quia vobiscum est in hac re iustitia, cum illis est malitia. Si deus 18 haec discernit in actione, utique discernet et in retributione. Consulo etiam vobis ut pater filiis, quatenus haec quae patimini, imputetis peccatis vestris secundum dei iudicium, et unusquisque vestrum discutiat conscientiam suam 21 et satisfaciatur deo per affectum paenitentiae et confessionem. Solet enim deus multitudinem propter culpam paucorum flagellare. Quapropter unusquisque quod communiter patimini sibi imputet, et quantum in ipso est, clementiam 24 dei per satisfactionem super se et super alios invocet. Deus enim dicit: » Revertimini ad me, et ego revertar ad vos «. Omnipotens deus sua vos protectione et defensione visitet et clementi consolatione laetificet. Amen. 27

253.

Ad GERARDUM archiepiscopum Eboracensem.

Sese iterum defendit quod non sua suorumque indiscretionem diffamatorias litteras divulgatas esse. – Mittit capitula concilii Lundoniensis.

ANSELMUS, ecclesiae Cantuariensis servus: reverendo archiepiscopo GERARDO Eboracensi salutem.

Sciat caritas vestra quia litteras illas, quas queritur legi et transcribi, 3 nec ego alicui ostendi aut dedi vel misi, nec aliquis per me, nec scio quomodo factum sit quod aliquis eas ut transcriberentur habuit, et cum hoc legi in litteris vestris factum esse, mihi displicuit. Et quamvis vestra pru- 6

13 potestis] Cf. 1 Cor. 10, 13. 15 propter iustitiam] Matth. 5, 10. 16-17 malum] Cf. 2 Cor. 5, 10. 26 ad vos] Mal. 3, 7 (Vulg.: ego om.). Ad Ep. 253: Scripta a. 1102-1103 (post concilium Lundoniense d. 29. Septembris a. 1102 celebratum). 3 Sciat etc.] Eadem fere habet Ep. 250.

13 vos om. V temptari s. quam f. p. M 15 pertinet iudicium] oculos spectat M 17 sive b. s. m. M 18 quia] quoniam M Ep. 253(prius IV, 15) coll. cum LPEV

dentia nihil suspicetur de me quod dedecet: meum tamen est confiteri et asserere quia non amo contumeliam vestram aut alicuius coepiscoporum meorum, nec, quoquo modo sese res habeat de litteris illis, mendacii vos arguendos existimo. Cum autem loquar vobiscum, si quod rescribo non sufficit, viva voce spero me satisfacturum esse, quia nec ego in hac re culpabilis sum, nec a legatis nostris aliqua immissa est falsitas.

Capitula concilii solummodo mitto, quia sententiarum eorum expositiones nulli volo transcribere, donec vestro et aliorum episcoporum, qui in concilio affuerunt, approbentur iudicio.

254.

Ad HERBERTUM episcopum Thiotfordensem.

Presbyteros, qui inoboedientes concilio feminas nolunt dimittere, per alios clericos sive per monachos substituendos et laicis adiuvantibus ex ecclesiis et terris suis expellendos esse exponit.

ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis: HERBERTO, episcopo Thiotfordensi, salutem.

De presbyteris de quibus quaerit vestra prudentia consilium, respondeo quia nihil relaxandum est de iis quae constituta sunt in concilio. Quoniam autem ipsi malunt dimittere quidquid pertinet ad presbyteri officium quam feminas: si aliqui inveniuntur casti, faciant pro illis. Si autem nullus aut paucissimi tales inveniuntur, iubete ut interim monachi missas dicant populo, ubi ipsi fuerint, et faciant corpus domini, quod per clericos portetur aegrotis. Qui clerici vestra iussione vice vestra accipiant confessionem et faciant

12 a legatis nostris] Cf. ibidem. 13 concilii] Lundoniensis. a. 1102. **Ad Ep. 254:** Scripta a. 1102-1103 (post concilium Lundoniense). 1 HERB.] Episcopus Thedfordensis (postea sedem Norwicam transtulit) a. 1091-1119. 4 in concilio Cf. Statuta huius concilii, *Hist. Nov.* 141 ss.; 437 ss.).

14 vestra *L* (ex vestro corr.) *PE* **Ep. 254 (prius IV, 113) coll. cum *LPE***
FMD 1 HERB.] .h. *FMD* 2 tiotf. *F* tiotfordi *M* teotfordi *D* thiod-
 fordensi *E* salutem om. *MD* 4 de his *D* constituta] statuta *MD* 6
 aliqui] alii *MD* inveniuntur *MD* faciant] cantent *MD* 7 interim ut *MD*
 missas dicant] cantent missas *MD*

absolutionem et sepeliant corpora mortuorum. Quae omnia etiam monachis provecioris aetatis praecipere potestis, donec ista duritia presbyterorum deo visitante mollescat. Non enim diu durabit deo propitiante, si in incepto¹² perseveraverimus. De baptismo vos scitis quia quicumque baptizet, Christus baptizat.

Laicis omnibus, maioribus et minoribus, ex parte dei et ex parte¹⁵ omnium nostrum, qui hoc constituimus in concilio, rogando praecipite ut, si Christianos se confitentur, adiuvent vos, quatenus expellatis presbyteros concilio inoboedientes de ecclesiis et rebus earum, et dignos pro illis consti-¹⁸tuatis. Et si expulsi contra illos qui in ecclesiis caste servire voluerint, aut aliquo alio modo in aliquam superbiae temeritatem proruperint: omnes Christiani sint contra illos, et non solum a societate sua, sed etiam a terris²¹ quas de illis habent, eos cum feminis suis excludant, donec resipiscant.

255.

A GERARDO archiepiscopo Eboracensi.

Queritur quod clerici, imprimis canonici, statuta concilii contemnant aut sophistice interpretentur; et ANSELMUM orat, ut quaedam praecepta det. - Ad sanandum aliquod crimen simonisticum a se commissum ab eo petit auxilium.

Patri et domino vere dilecto et vere diligendo, ANSELMO, Cantuariensi archiepiscopo: GIRARDUS, Eboracensis ecclesiae humilis servus, salutem.

3

Cervus sitiens ad fontem currit, et viator ex itinere fatigatus ubi requiescat attentus inquirat. Ego sitiens et lassus ad fontem sapientiae vestrae et ad requiem consilii vestri confugio. Sitio clericorum meorum integritatem,⁶ et in ea requiescere volo. Sed praeter in paucis admodum vel aspidis surditatem vel fabulosi cuiusdam PROTHEI mutabilitatem invenio. Arent ad verbum ‚pudicitiae‘, quia sancti spiritus carent unctione. Variis linguarum⁹

13-14 baptizat] Cf. AUGUSTINUS, *Tract. in Ioh. VI*, n. 7 (PL 35, 1428).
Ad Ep. 255: Scripta videtur a. 1103.

11-12 deo visitante] deo add. M 17 se] esse add. MD 19 aut om. MD
20 alio om. MD 22 resipiscant] Valet add. FD Ep. 255 (w IX) coll.
2 m LEw 1 domno w

aculeis modo minas, modo convicia infligunt. Sed hoc facilius in iis qui remotiores sunt tolero. Illud autem difficile, illud omnino grave genus mali
 12 est, quod ii qui quasi in sinu meo sunt, qui ‚canonicorum‘ nomine gaudent, canones aspernantur, adversus concilii vestri statuta quasi sophistici disputatores argumentantur. Ecce dicunt: ‚Iuxta concilium in domibus nostris femi-
 15 nae non erunt. Sed nulla concilii regula prohibet, quin in domibus vicinorum nostrorum cum feminis soli et sine teste conversemur‘. Professiones vero mihi penitus abnegant canonici illi, qui sine professione ad sacros ordines
 18 inordinabiliter sunt provecti. Hi etiam, qui in presbyterio vel diaconatu constituti, et uxores sive concubinas in publico hactenus habuerunt, et ab altari nulla se reverentia continuerunt. Sed quomodo eis sine professio-
 21 ne castitatis corporis et sanguinis domini consecrationem vel ministerium credam, quorum praesumptio diutius inter ipsa luxuriae inquinamenta haec tractavit, ut vicissim et publice a toro concubinarum ad altare, ab altari
 24 ad eundem nequitiae torum reverterentur? Cum vero ad ordines aliquos invito, dura cervice renituntur, ne in ordinando castitatem profiteantur, miraque superbia et de beneficiis ecclesiarum divites esse praesumunt et ad alta-
 27 ris officium ipsi dedignantur. Ita canonicis a longe stantibus et de divitiis ecclesiarum superbientibus, ad altaris servitium extranei conducuntur.

In his interim, pater sancte, me nutantem firma, lassum recrea, sitientem refrigera, ut auctoritate litterarum tuarum confirmatus, securius praelier praelium domini, et scuto protectionis tuae munitus, minus timeam iacula adversae partis. Praecepit, ut pari forma et a canonicorum domibus mulie-
 33 res et a mulierum domibus canonici abstineant. Praecepit, ut qui contra ordinem presbyteri vel diaconi sine professione ordinati sunt, professionem ex integro faciant, si et ordine et honore gaudere volunt. Praecepit, ne pro
 36 canonico persona ad altaris ministerium conducatur, dum canonicus, ut mundo liberius vacet, ordinari dedignatur. Et qui archidiaconi infra diaconi ordinem sunt constituti, si vice perversa maluerint archidiaconatus dimittere quam
 39 ordinari, nec adqueverint ut ordinem honore dignum suscipiant, praebendarum amissione adquiescere cogantur.

Quidam sacerdotis et archidiaconi filius donum praebendae patris sui

13 concilii vestri statuta] Cf. ad sequentia eadem statuta in Ep. praeced. citata.

15 Sed] sed w in] rasura in E 16 Professionis w 23 tratavit E
 40 cogantur] paragraph. in LE 41 filius archidiaconi w

et decimarum quas pater tenuerat, patre adhuc, sicut et modo est, supersti- 42
te, pretio interveniente a me suscepit. Quod, quia cum peccato factum, sine
peccato durare posse non video, pecuniam post concilium reddere volui et
inhonestum commercium destruere patrique sua, dum viveret, dimittere. Sed 45
et oblatam pecuniam recipere noluerunt, et ut res contra deum facta firmi-
tatem habeat ratiocinando contendunt. In hac causa nullius preces, nullius
vanae supplicationes sanctitatis tuae veritatem emolliant. Sed te omnino 48
annuente, adiuvante, praecipiente licet mihi rem male factam destruere, ne
totiens peccatum meum mihi occurrat, quotiens emplorem ecclesiae mecum
in ecclesia videro, cui et pecuniam suam reddere volui et adhuc, prout iu- 51
stum fuerit, reddere volo.

Te, pater, culpa respiciet, si Eboracensis ecclesia penuria auxilii tui
inordinata remanserit. Nescit enim, nescit sanctitas vestra quae patimur, cui 54
felicem primae ecclesiae statum repraesentat iucunda et deo placens unitas
monachorum.

Valete, et inter illa quae cotidie cum deo habetis orationum et pietatis 57
commercium, mei, precor, mementote. Litteras istas rogo ne videant, qui in
causa dei et vobis et nobis adversantur. Religiosi viri, qui vobis abundant,
eas videant, et ut mihi subveniant ipsi quoque precatores accedant. 60

256.

Ad GERARDUM archiepiscopum Eboracensem.

Laetatur de eius studio circa clericorum integritatem. Consulit, ut de statutis
concilii nihil relaxetur, et iis quae non tractata sunt, in proxima Nativitate domini
episcopi communiter sententiam statuunt.

ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis: reverendo archiepiscopo
 GERARDO Eboracensi salutem.

Laetor de vestro bono et religioso studio circa clericorum vestrorum³
 integritatem. Ad ea vero de quibus vestra prudentia nostrum petit consilium,
 respondeo quia de iis quae in concilio nostro et coepiscoporum nostrorum

Ad Ep. 256: Responsum ad Ep. praecedentem; scripta, ut videtur, a. 1103.

49 malefactam w

Ep. 256 (prius IV, 16) coll. cum LPE

6 communi consensu statuta sunt, nihil relaxandum consulo. De illis autem de
 quibus in eodem concilio non tractavimus – non enim simul omnia necessaria
 potuimus –, ut de ablatione praebendarum ante idem concilium venditarum
 9 et de similibus, quoniam non solum ad meam et vestram personam et eccle-
 sias nostras pertinent, sed etiam ad multas ecclesias et personas, et in his
 multi dissentiunt: conveniens mihi videtur ut in proxima Nativitate Domini
 12 nostro et coepiscoporum nostrorum communi consilio, deo dictante sententiam
 certam statuamus.

257.

Ad WILLELMUM archidiaconum Cantuariensem.

Sententias expositas capitulorum concilii Lundoniensis se nemini mittere velle scribit, nisi prius communi consensu episcoporum retractatae fuerint. – Quaedam capitula explicat.

ANSELMUS archiepiscopus: WILLELMO archidiacono, dilecto suo, salutem et benedictionem.

3 Sententias capitulorum concilii expositas nolo vobis aut alicui ad prae-
 sens mittere, quia, quando in ipso concilio expositae sunt, non potuerunt ad
 plenum et perfecte recitari, propterea quia subito sine praemeditatione ac
 6 compententi tractatione, sicut oportuerat, sunt prolatae. Unde quaedam vi-
 dentur addenda et forsitan quaedam mutanda, quod non nisi communi con-
 sensu coepiscoporum nostrorum volo facere. Volo ergo eas dictare et prius
 9 eisdem episcopis ostendere, cum primo convenerimus, quam per ecclesias
 Angliae dictatae et expositae mittantur. Nomina tamen rerum, de quibus
 ibi locuti sumus, vobis mittimus, ut secundum quod recordari poteritis nos
 12 de illis decrevisse, faciatis.

De illis qui ante excommunicationem, vel post excommunicationem
 nescientes eam factam, Sodomitico peccato peccaverunt, par et similis erit

Ad Ep. 257: Scripta a. 1102-1103; potius a. 1103. 1 WILL.] Archidiaconus
 Cantuariensis. 3-4 mittere] Cf. Ep. 253.

Ep. 257 (prius III, 62) coll. cum LPEV 9 cum primo convenerimus quam]
 cum convenerimus priusquam LPE (in L correctura!)

sententia, si confitentes paenitentiam petierint. Quam secundum discretionem 15
 vestram dabit, considerantes aetatem, peccati diuturnitatem, et utrum habeant
 uxores an non, et secundum quod videritis eos ex corde paenitere et dein-
 ceptam integram correctionem promittere. Considerandum etiam est quia hacte- 18
 nus ita fuit publicum hoc peccatum, ut vix aliquis pro eo erubesceret, et
 ideo multi magnitudinem eius nescientes in illud se praecipitabant. Illi vero,
 qui post excommunicationem cognitam eodem se peccato contaminaverunt, 21
 graviore sunt multandi paenitentia. Quam etiam in vestra discretionem secun-
 dum praedictas causas ponimus. De iis qui tonderi nolunt, dictum est, ut
 ecclesiam non ingrederentur; non tamen praeceptum est, ut, si ingrederentur, 24
 cessarent sacerdotes, sed tantum annuntiarent illis quia contra deum et ad
 damnationem suam ingrediuntur. De calceamentis laicorum nihil decrevimus,
 sed tantum clericorum. 27

De archidiaconibus et canonicis, qui uxores suas derelictas extra domos
 suas in maneriis suis ponunt, existimo interim, donec aliud statuatur, toleran-
 dum, si certam promissionem fecerint se nullam conversationem cum illis 30
 habituros nec sine legitimis testibus locuturos. De presbyteris, qui timore non
 audent feminas suas relinquere, quod statutum est in concilio servabitur: quia,
 quamdiu eas aliqua occasione tenebunt, nec missas celebrabunt nec legales 33
 erunt, sed tantum usque ad initium Quadragesimae, si habuerint qui pro
 illis caste in ecclesiis serviant, beneficiis ecclesiae non privabuntur. Illos
 autem qui presbyteros propinquas suas dimittere prohibent, sicut eos qui 36
 contra deum et contra Christianitatem agunt arguite, et totum peccatum
 fornicationis presbyterorum illis imputandum ostendite, et nostram et omnium
 coepiscoporum nostrorum excommunicationem illis certam promittite. 39

258.

Ad BURGUNDIUM et RICHEZAM.

*Exhortatur eos, ut, prole privati, merita pro alia vita sibi acquirant. – Mandat
 ne BURGUNDIUS ad se veniat, nisi suo sigillo vocatus fuerit.*

ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis: suis carissimis BURGUN-
 DIO et uxori eius RICHEZAE salutem et benedictionem dei.

3 Qualiter me habeam, nuntius vester melius poterit vobis verbis ostendere quam ego scribere. Nihil autem tantum me delectat mandare vobis, quantum ut curam habeatis de vobis. Exoneravit vos deus, abstulit vobis
6 omnem occasionem amandi hoc saeculum et dedit vobis omnem opportunitatem amandi salutem vestram. Ponite cotidie ante oculos vestros finem vestrum. Cogitate intentissime, cuius erunt et quid vobis proderunt quae post vos
9 remanebunt. Cogitate quo ibitis, quid vobiscum portabitis, quid ibi quod praemissum sit a vobis invenietis. Certe non portabitis vobiscum nec invenietis ibi aliud quam merita vestra, sive bona sive mala. Videte quae merita
12 praemisistis. Si plura bona quam mala, gaudere potestis, quod non puto. Si plura mala quam bona, multum debetis timere, praesertim cum multum necesse sit homini volenti salvari habere multo plura bona merita quam mala.
15 Haec cogitate, haec inter vos die ac nocte, in secreto et in publico tractate.

Haec sint colloquia vestra invicem: „Domine mi, amica mea, quid facimus, quid tardamus? Prope est ultima dies nostra. Quomodo expendimus
18 vitam nostram? Quomodo satisfacimus deo pro peccatis nostris? Praeparemus nos, quasi videamus in proximo diem vocationis nostrae; et ita aptemus nos, ut securi eamus ad iudicium, quia recepturi sumus sine dubio, prout gerimus
21 in hac vita, » sive bonum sive malum«. Deus nos iunxit in hac vita; faciamus ut simul nos iungat in aeterna vita, et videamus ibi prolem nostram, quam sibi deus iam assumpsit. Haec sint studia vestra, haec sollicitudo,
24 haec suspiria vestra.

Quod mando vobis per nuntium istum, ne veniatis ad me, nisi a me mandatus per sigillum meum – vobis dico, domine et frater carissime BUR-
27 GUNDI –, suscipite bono animo, si me amatis. Omnipotens deus regat corda vestra et dirigat ad gaudia aeterna. Amen.

Ad Ep. 258: 5 deus] Cf. Ep. 211. 7 vestrum] Cf. *Reg.*, c. 4 (lin. 54). 15
Haec cogitate] Phil. 4, 8. 20-21 malum] Cf. 2 Cor. 5, 10.

12 potestis, quod non puto. Si] *sic habent omnes codices et editiones priores; correctura editionum posteriorum, quae quod non puto ad propositionem sequentem trahunt, fundamento caret* 15 tractare *P* 18 satis facinus *P*

259.

Ab HUGONE abbate Cluniacensi.

Gaudet de tanti viri amicitia, et vexatum consolatur. - Commendat GOSFRIDUM sacristam in Angliam destinatum.

Dulcissimo ac venerabili, merito amando venerandoque patri, domno ANSELMO, sanctae Cantuariensis ecclesiae summo pontifici: frater HUGO peccator, abbas Cluniacensis, cum suo pusillo grege, quod praeparavit deus 3 diligentibus se in veritate.

Quoniam, vir sanctissime, difficile est optata nos ad invicem satiare praesentia, vel mutua et frequenti colloctione corda nostra delectari: bonum arbitramur, si saltem litterali visitatione animos nostros pro tempore pascamus. Quis enim tam gloriosum tamque spirituales habens in Christo amicum, qualem vos nobis divina concessit gratia, non omnimodis optet 9 saluberrima illius recordatione recreari et relevari sancta renuntiatione? Prius quidem quam faciem vestram videremus, ille suavissimus odor bonae famae, aures nostras reverberans, iam dulcedine sua nostrum interiore 12 hominem impinguabat. At postquam vestram hilarem praesentiam cernere deo volente meruimus, non est facile dictu qualiter totus vobis adhaesimus vestroque cordi quasi partem nostri univimus. Verum non haec nostra sunt, 15 sed illius qui »spirat«, »ubi vult«. Ipsi gratias agimus, ipsum exoramus, ut quos ita iunxit in hac vita, non permittat separari in caelesti gloria.

Perpendimus satis vos multas et graves, postquam a nobis discessistis, 18 pertulisse anxietates. Et si voluntas esset summi dispositoris, scimus vos desiderasse multo magis cum MARIA sedere ad pedes domini eiusque vultum contemplari, quam laborare ministrando cum MARTHA. Verumtamen, quia 21

Ad Ep. 259: Scripta a. 1101-1103. 3 pusillo grege] Cf. Luc. 12, 32. 3-4 diligentibus se] Cf. 1 Cor. 2, 9. 13-14 meruimus] Primum a. 1097 (cf. *Hist. Nov.* 90; 404). 16 vult] Cf. Ioh. 3, 8. 20 domini] Cf. Luc. 10, 39. 21 MARTHA] Cf. ibidem, 40.

Ep. 259 (prius IV, 17) coll. cum LPEFM 1 venerando M 2 ANS.] .A. PFM HUGO] .h. F 3 clunianensis P 4 diligentibus LPE 14 tota M 15 nostroque M nostri] vestri M 18 vos ante pertulisse pont M 21 in ministrando M

potestas hominis non est in manu ipsius: date manum voluntati illius, cui est cura de vobis, quique luce clarius novit quid sit vobis salubrius. In
 24 eo totam spem vestram reponite, ab ipso virtutem et perseverantiam quaerite, quantum fieri potest patiens ad omnia. Adsit vobis ille, qui nulli
 27 umquam defuit in ipso speranti. Sed cur nos imperiti aquam in mare deferimus, dum sanctitatem vestram quasi docere praesumimus? Non docemus, sed praecordiale amicum nostrum consolari volumus; hoc tantum secure addentes quia domus Cluniacensis, ancilla vestra, in vita et morte vestrae
 30 non deerit servituti.

Filium autem nostrum, domnum GOSFRIDUM sacristam, ad partes illas, sicut ab ipso melius audietis, destinantes, vestrae commendare paternitati
 33 necesse non arbitramur, quoniam cum magnis laudibus saepius referre solet, quantae caritatis consilium auxiliumque ei in praeterito anno contulistis. Nec solum ipse, sed et omnes fratres nostri per vestram transeuntes
 36 praesentiam, plurimum vestrae sanctitatis praedicant caritatem. Super quibus quantas praevalemus gratias persolventes humiliter petimus, ut per hunc ad nos remeantem vestrum esse vestrumque velle nobis insinuare dignemini, ut
 39 gaudere possimus cum gaudente, et cum dolente – quod omnipotens deus avertat a vobis! – ut filii condoleamus. Gratia et pax dei vobiscum, pater gloriose. Mementote nostri in sanctis orationibus vestris.

39-40 condoleamus] Cf. Rom. 12, 15.

22 ipsius] eius <i>M</i>	24 reponite] ponite <i>M</i>	25 patientes <i>M</i>	25-26 nulli
umquam] numquam ulli <i>M</i>	28 amicum nostrum] amicum <i>add. M</i>	31 dom-	
num <i>om. FM</i>	GOSFR.] Goffridum <i>E</i>	.G. <i>FM</i>	34 auxilium consi-
liumque <i>M</i>	37 praevalemus] valemus <i>M</i>	40 a nobis <i>M</i>	40-41 Gratia
- vestris <i>om. M</i>	40 vobiscum] sit <i>add. F</i>	Mementote <i>F</i>	

260.

Ab HUGONE archiepiscopo Lugdunensi.

Nuntiat reditum suum incolumem ex Hierosolymis. – Quodsi forte propter regis vexationes ex Anglia exire ei necesse fuerit, offert ei iterum domum suam pro hospitio.

Desideratissimo patri suo ANSELMO, venerabili Cantuariensium archiepiscopo: HUGO, Lugdunensis ecclesiae servus, salutem.

Sanctitati vestrae notum esse volumus, meritis et intercessionibus³ vestris id obtinentibus, nos Ierosolimis incolumes redisse. Quod vobis idcirco notificare dignum duximus, quoniam id vobis non ingratum fore credimus.

Audivimus autem a rege Anglorum vos nimium inquietari, et multa⁶ contra deum eiusque ecclesiam ab eo inconsulte agi. Unde divinam nos oportet implorare clementiam, ut inimicos vestros, immo sanctae dei ecclesiae perturbatores convertat et vestrae sanctae oboedientiae subiciat. Quod si,⁹ peccatis nostris exigentibus, id ad praesens fieri non poterit et persecutione ingruente vos cedere aut etiam locum mutare necesse fuerit; sanctitatem vestram submissis precibus exoramus, ut ad puerum vestrum declinare non¹² dedignemini et ad domum vestram, quae vestra fuit et quae modo vestra est et de die in diem semper melius vestra erit. Quod non solum nos, sed et commissa nobis ecclesia humiliter implorat, quae sanctissimis orationibus¹⁵ vestris nobiscum devotissime se commendat, et ad obsequium vestrum promptissima, faciem vestram videre desiderat.

Praesentium gerulum, ELUREDUM nomine, vobis commendamus.¹⁸ Qui ab Apulia usque Lugdunum nobiscum veniens fideliter nobis servivit.

Ad Ep. 260: Scripta ineunte fere a. 1103.
legatus apostolicus Asiae in Terra Sancta fuit.

3-4 redisse] HUGO a. 1100-1103
17 desiderat] Cf. 1 Thess. 2, 17.

Ep. 260 (prius III, 64) coll. cum LPEV
tionem P

4 ierosolimis V 10 persecu-

261.

Ad HUGONEM archiepiscopum Lugdunensem.

Gaudet de eius incolumi reditu de Terra Sancta, et gratias agit pro tantis beneficiis impensis, et praesertim pro invitatione in domum suam. - Quomodo se habeat, legatum HUGONIS relaturum esse significat. - Queritur imprimis quod episcopi sibi praesumant consecrationes, quae ad se solum pertineant.

Domino reverendo et patri diligendo HUGONI, venerabili primati Lugdunensi: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, quod servus, quod
3 filius, quod totus suus.

Gaudendo gratias agimus deo, et gratias agendo gaudemus quia pietas divina vestrum desiderium visitandi locum, in quo salus nostra procurata
6 est, adimplevit, et nos de reditu vestro et de salute vobis restituta laetificavit. Gratias quoque refero vestrae paternitati non solum pro multimodis beneficiis mihi impensis, verum etiam pro indeficienti bona voluntate, quae
9 me paterna sollicitudine et litteris suis visitare et ad eadem beneficia repetenda, si opus sit, non cessat invitare. Quibus bonis quoniam ego nihil cogitare queo quod possim recompensare: deum omnipotentem, pro cuius
12 amore hoc facitis, quanto affectu possum oro, ut ipse vobis dignetur remunerare.

Nostrum esse qualiter sit in Anglia, caritas vestra desiderabat per scrip-
15 tum cognoscere; sed legatus vester plenius vobis viva voce quam ego scribendo poterit ostendere. Hoc tantum dico quia, quando spero meas adversitates mitescere, tunc magis sentio eas exardescere. Tota enim me vis Angliae,
18 cum solus ibi sim, molitur subvertere, quia me ab oboedientia sedis apostolicae non valet avertere. Ad quod etiam ipsi episcopi cum rege sic aestuant, ut etiam consecrationes, quae non nisi ad me pertinent, si sit qui velit acci-
21 pere, ipsi praesumere non metuant.

Omnipotens dominus vestram nobis paternitatem in gratia sua diu conservet incolumem. Amen.

Ad Ep. 261: Respondet litteris praecedentibus.

Ep. 261 (prius IV, 18) coll. cum LPE 6 de reditu] deritu P

262.

Ad UMBERTUM comitem et marchionem.

Gaudet de litteris acceptis dilectionis plenis, et merita marchionis de se et de bono potestatis usu laudat. - Eum hortatur ad reverentiam erga ecclesiam.

Suo reverendo et carissimo domino UMBERTO, comiti et marchioni: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, fidele servitium cum orationibus.

Litteras a dignatione vestra mihi directas magno gaudio suscepi, quoniam eas honore et amore et opulentia bonae voluntatis plenas inveni. Quantum enim mihi est honor, cum vestra celsitudo, cuius se homines gaudent esse parentes mei, dignatur dicere me sibi consanguinitate copulari; quantus vero amor intelligitur, cum de tam longe mihi studet scribere se de bonis, quae de me audit, valde gratulari? Quantum etiam voluntas eius bona in iis quae dei sunt coram deo ferveat, aperte monstratur, cum de bonis, quae sola fama de longinquo regno audit, ad magnum gaudium et laetitiam excitatur. Utique licet ea quae de me vel de actibus meis bona referuntur, debeant, quantum in me est, nulla aut fere nulla iudicari: vestra tamen benevolentia non minori, quam si vera essent, apud iustum iudicem gratia mereatur remunerari. Tantam utique gratiam vestram nescio me aliquo servitio meruisse, nisi quia - ut verum fatear - vestram prosperitatem vestrosque successus scio me semper, etiam antequam vos vidissem, non ficto corde dilexisse. Memor enim me naturaliter a progenitoribus vobis ut domino debitorem esse, numquam passus sum cordi meo vestrum amorem deesse. Nec sum oblitus quia, cum Romam tenderem, benigna vestra largitas Lugduni prompta fuit me conducere atque necessaria quaelibet impendere. Qui amor multum crevit cognita per multos vestra vita et probitate, quia ad servandam pacem ac iustitiam cum pietate utimini vestri principatus potestate. Quem etiam valde

Ad Ep. 262: Scripta a. 1100-1103. 1 UMB.] UMB. II., comes Augustiensis (= Aosta) et marchio Susensis (+ d. 19. Oct. a. 1103).

Ep. 262 (prius III, 65) coll. cum LPEVFM 1 UMB.] .U. FM 2
ANS.] .A. FM Cant.] .C. M fidele serv. cum orationibus om. M 3.
24 Litteras - dilectio om. FM 4 eas om. V 8-9 in his V

maiolem habere me deinceps debere intelligo, quia hoc vestra mereri digna-
24 tur erga me dilectio.

Quamvis non egeat vestra bona intentio nostra admonitione: ad me
tamen pertinet, ut epistola mea ad vos non sit sine aliqua exhortatione. Sicut
27 enim ignem vento agitatum videmus exardescere, ita bona voluntas per exhor-
tationem ad meliora se solet accendere. Videtis, mi carissime domine, qua-
liter mater nostra, ecclesia dei, quam deus pulchram amicam et dilectam
30 sponsam suam vocat, a malis principibus conculcatur, quomodo ab iis, qui-
bus ut advocatis ad tuitionem a deo commendata est, ad eorum aeternam
damnationem tribulatur. Qua praesumptione in proprios usus ipsi usurpave-
33 runt res eius, qua crudelitate in servitutem redigunt libertatem eius, qua im-
pietate contemnunt et dissipant legem et religionem eius. Qui cum dedignantur
apostolici decretis, quae ad robur Christianae religionis facit, esse oboe-
36 dientes: PETRO utique apostolo, cuius vice fungitur, immo domino Christo,
qui PETRO commendavit ecclesiam suam, se probant esse inoboedientes.
Quaerant igitur qui vicarii PETRI, et in eo PETRI et Christi, decreta
39 Christiana contemnunt, alias regni caelorum portas, quia certe per illas non
introibunt, quarum claves PETRUS apostolus portat. Omnes namque qui
nolunt subiecti esse legi dei, absque dubio deputantur inimici dei. Ergo, mi
42 domine, ne putetis ecclesiam, quae in vestro principatu est, vobis esse datam
in haereditariam dominationem, sed in haereditariam reverentiam et tuitionem.
Eam ut matrem vestram amate, ut sponsam et amicam dei honorate. Qui
45 enim illam conculcant, extra illam cum daemonibus conculcabuntur; et qui
illam glorificant, in illa et cum illa inter angelos glorificabuntur.

Reverendam dominam meam, uxorem vestram, cum prole vestra saluto,
48 quibus vobiscum nostras et ecclesiae nostrae orationes in vera caritate conce-
do. Omnipotens deus sic vos in hac vita dirigat et protegat, ut in futuro
ad aeternam beatitudinem provehat.

28 Videtis] Cf. ad sequentia Ep. 243 et 248. 29 pulchram] Cf. Cant. 4, 7; et
passim. amicam] Cf. ibidem, 1, 8; et passim. dilectam] Cf. ibidem, 2, 7;
3, 5; 8, 4. 30 sponsam] Cf. ibidem, 4, 8; et passim. 39-40 portat] Cf.
Matth. 16, 18 (cf. Ep. 248, lin. 13-15). 40-41 dei] Cf. Rom. 8, 7.

30 ab his *FM* 35 decretis] scriptis *M* 38 et in eo PETRI *om. E* 39 Chri-
stiana *om. F* 43 et in tuitionem *V* 47-49 Reverendam - concedo *om. F*
47-50 Reverendam - provehat *om. M* 49 sic vos in hac vita *om. F* dirigat]
vos semper *add. F* 49-50 ut - provehat] *Amen F*

263.

Ad DIACUM episcopum S. Iacobi Compostellani.

Dolet quod Angli milites contra Saracenos in eius auxilium mittere non possint, cum ipsum regnum Anglorum bellis commoveatur.

DIACO, reverendo ecclesiae Sancti Iacobi episcopo: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, gratiae supernae auxilium et consolationem.

Cum semper nos Christiani invicem congaudere debeamus et condolere, tunc utique maxime, cum prosperitatem ad exaltationem Christianitatis et adversitatem ad eiusdem humiliationem cognoscimus pertinere. Vestri itaque timoris atque doloris ex litteris vestris causam cognoscentes: unde timetis, inde timemus; et quod doletis, pariter dolemus.

Quia milites nostros contra Saracenos ad vestrum auxilium commoneri desideratis, libenter pro opportunitate nostra eos commonebimus et ad subventionem Christianorum commovebimus. Sed noverit sanctitas vestra quia regnum Anglorum bellorum contra se undique consurgentium nuntio fere cotidiano commovetur. Unde satis vereor ne contingat nos vobis minus prodesse, quia nobis hostes timemus obesse. Nam dum quisque curat tueri propria, minus potest curare communia. Conabimur tamen deo annuente hoc efficere orationum devotione, quod non valemus militum collectione. Speramus autem in misericordia dei » quia non relinquet « » virgam peccatorum super sortem iustorum », neque tradet » bestiis animas confitentes « sibi.

Omnipotens deus, » adiutor in opportunitatibus, in tribulatione », subveniat vobis secundum necessitatem vestrae tribulationis. Amen.

Ad Ep. 263: Scripta a. 1100-1103. [1 DIAC.] Sive DIDACUS, episcopus de Compostella ab a. 1100 (electus d. 1 Iulii; consecr. d. 21. April. a. 1101); ab a. 1120 archiepiscopus (+ circa a. 1140; cf. GAMS, *Kirchengeschichte von Spanien*, t. 3, I. p. 107). [16-17 iustorum] Ps. 124, 3. [17 sibi] Cf. Ps. 73, 19. [18 in tribulatione] Ps. 9, 10.

Ep. 263 (prius IV, 19) coll. cum LPE

264.

Ad BURGUNDIUM eiusque uxorem RICEZAM sororem suam.

BURGUNDIUM, qui suam et filii sui ANSELMi licentiam eundi Hierosolymam petiuit, monet, ut prius animam suam et domum suam ordinet et uxcri suae provideat. - Pro sorore admonitionem et consolationem adiungit.

ANSELMUS, gratia dei archiepiscopus Cantuariæ: fratri et amico dilecto BURGUNDIO et uxori eius, sorori suae RICEZAE, salutem et
3 benedictionem dei et suam, quantum potest.

Mandastis mihi, domine et amice carissime BURGUNDI, vos velle
ire Ierosolimam pro servitio dei et salute animae vestrae, et hoc vos velle
6 facere concessione mea et filii vestri, nepotis mei ANSELMi. Gaudeo de
vestra bona voluntate et consulo et precor, ut sic hanc viam faciatis, ut
nec vobiscum peccata quae fecistis portetis, nec domi peccatum relinquatis,
9 et ut deinceps voluntatem bene vivendi sicut verus Christianus vestri ordinis
habeatis. Facite confessionem omnium peccatorum vestrorum nominatim ab
infantia vestra, quantum recordari potestis. Videte ne peccatum habeatis super
12 uxore vestra, cuius bonitatem vos melius cognoscitis quam ego; sed ita rema-
neat, ut non sit sine auxilio et consilio, quidquid deus de vobis faciat, nec
expellatur a domo et honore vestro contra voluntatem suam, quamdiu ipsa
15 vivet, ut possit deo servire pro salute corporis et animae vestrae et pro
anima sua et filiorum vestrorum. Disponite totam rem vestram, sicuti facere-
tis, si in praesenti vos moriturum et deo redditurum rationem de tota vita
18 vestra sciretis. Nostram licentiam quaeritis. Dei licentiam et consilium et
auxilium et protectionem oro deum, ut in omnibus semper et ubique habeatis.

Tibi dico, soror mea carissima, converte totam intentionem tuam et
21 totam vitam tuam ad serviendum deo; et quod deus abstulit tibi omnem
delectationem huius vitae, crede quia ideo fecit, ut in illo solo delecteris.
Illum ama, illum desidera, illum cogita, illi servi omnibus horis, in omnibus locis.
24 Omnipotens deus vos semper ambos benedicat.

Ep. 264 (prius III, 66) coll. cum LPEVFM 1 ANS. - Cantuariæ] ANS.
Ar. M 2 BURG.] .B. FM RIC.] .R. FM 2-3 et benedict. - po-
test om. FM 4 carissime BURG. om. M BURG.] .B. F 6 .A.
nepotis mei FM 7 sic] sic M; ceteri mss. si 9 et ut] ut et M et om. E
19 semper om. M 23 in om. M 24 Omnipotens - benedicat om. M

265.

Ad HENRICUM regem Anglorum.

Regem, qui electum episcopum Wentoniensem WILLELMUM de Anglia exire iubet, quia is consecrationem non vult accipere nisi legitime ab ANSELMO, monet ne id faciat.

Suo carissimo domino HENRICO, gratia dei regi Anglorum: ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariæ, fidele servitium et fideles orationes.

Audivi quia vos WILLELMUM, electum episcopum Wentoniensem, 3
 praecipitis exire de episcopatu et de Anglia, quia non suscepit consecrationem,
 quam illi voluit facere archiepiscopus Eboracensis et alii episcopi. Unde
 precor et consulo, sicut fidelis archiepiscopus domino et regi suo, ne creda- 6
 tis consilio illorum qui hoc vobis consulunt, quia meo sensu non intelligo
 hoc esse ad vestrum honorem. Nam satis est notum quia ad me pertinet
 eius consecratio, nec alius eam debet facere nisi per me. Quod paratus sum, 9
 si necesse fuerit, rationabiliter ostendere, sicut talis res ostendi debet. Qua-
 propter si illum expellitis de terra vestra, ut mihi non liceat eandem conse-
 crationem canonice facere: videtur mihi quia dissaisitis me de officio meo, 12
 sine iudicio cur facere debeatis. Precor itaque ut illum in pace in episco-
 patu manere permittatis, saltem usque ad terminum nostri respectus, ut inte-
 rim mihi liceat illi facere consecrationem quam debeo. 15

Ad Ep. 265: Scripta a. 1102-1103 (cf. *Hist. Nov.* 144 ss.; 440 s.).

Ep. 265 (prius IV, 126) coll. cum LPEFMD 1 HENR.] .h. MD 1-2
 ANS.] .a. FMD 2 Cantuariæ om. MD 3 WILL. electum] electum W.
 FMD wintoniensem F wint. MD 7 illorum] eorum D 11 non mihi
 FMD 12 dissaisitis D 13 cur] hoc add. FMD

266.

Ad WILLELMUM archiepiscopum Rotomagensem.

Queritur de monacho S. Ebrulfi, qui in abbatiam S. Eadmundi vi intrusus sit, et precatur archiepiscopum, ut ipsum per abbatem eius revocet.

Domino et patri WILLELMO, reverendo archiepiscopo Rotomagensi: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, salutem.

3 Clamo et conqueror ad vos et ad omnes episcopos et abbates et
totam ecclesiam Normanniae pro me et pro congregatione ecclesiae Sancti
Eadmundi, quae est in Anglia, de abbate monasterii Sancti Ebrulfi, quod
6 est in Normannia, et vestram peto iustitiam. Iniuria, quam nobis nimis inor-
dinate fecit in Anglia, praeter opinionem quam de illo habebamus, haec est:

Iuvenem quendam, filium comitis HUGONIS de Cestre, nimis carentem
9 prudentia et utilitate et virtutibus ad abbatis pertinentibus personam, per
potestatem regiam ingressit in ecclesiam Sancti Eadmundi cum armis, mona-
chis, quantum in ipsis erat, recusantibus et contradicentibus, et omnino sine
12 nostra concessione, ad quem pertinent omnes eiusdem ecclesiae consecrationes.

Qui ibi nititur extorquere ab ipsis monachis oboedientiam et electionem, et
ut animas suas commendent illi custodiendas, qui quam non idoneus ad hoc
15 sit aperte cognoscitur, quia ipse nusquam sine laterna et custodia, antequam
ad hoc assumeretur, sibi ipsi credebatur. Precor igitur, ut eundem abbatem
auctoritate vestra monachum suum revocare cogatis, et ecclesiam, quam inique
18 opprimit, velut a lupo rapace et oves dispergente liberetis, ne nos aliquid
super monachum vestrum nostrae auctoritatis censura, vestra cessante, facere
cogamur. Valete.

Ad Ep. 266: Scripta post Ep. 251 et 252. Utrum ante an post concilium Lundo-
niense, quo abbas intrusus depositus est, non patet. 18 dispergente] Cf. Ioh. 10, 12.

Ep. 266 (prius IV, 20) coll. cum LPEFM 1 WILL.] .W. FM rotom.
archiepiscopo FM 2 ANS.] .A. PFM salutem om. M 5 aed-
mundi F edmundi M 7 habeamus F 8 HUG.] .h. FM de cestra M
10 aedmundi F edmundi M 15 ipse om. P nusquam] numquam (ñquam) M
20 Valete om. M

267.

Ad AELFERUM priorem ceterosque monachos S. Eadmundi.

Consolatur eos in tribulationibus, quas ab abbate intruso patiuntur.

ANSELMUS archiepiscopus: fratribus et filiis carissimis, priori AELFERO et aliis monachis coenobii Sancti Eadmundi, salutem et benedictionem.

Misereor et compatiar caritati vestrae in longa et nimia tribulatione laboranti. Et tanto magis affectuosius hoc facio, quanto vos non pro terrena rei cupiditate, sed pro iustitia tribulari considero. Iustitia enim est, quia non contra ordinem vestrum, non contra *Regulam* sancti BENEDICTI, non contra auctoritatem aliorum sanctorum patrum, nec sine consilio eorum a quibus religionis regimen et consilium expectare debetis, abbatem vultis accipere. Quapropter si propter hoc perturbationes et molestias patimini: videt deus, qui omnia mala aut corrigit aut punit et bona nutrit et confortat, et dabit vobis consolationem suam congruo tempore, qui » adiutor « est » in opportunitatibus, in tribulatione », si tamen flagella patris sustinere humiliter volueritis et in spe misericordiae eius non defeceritis. Ad illum clamate non solum orando, sed et vitam vestram in mandatis eius et in ordinis vestri custodia toto corde, toto conatu, in omni loco et in omni tempore servando. Gravis est aliquando et ingrata in tribulatione patientibus verborum sine alio auxilio consolatio; sed non debet esse hoc servis dei, qui spem certam habent in deo, quia quanto maior est tribulatio, tanto maior sequitur patientiae retributio.

Omnipotens deus sua vos laetificet consolatione, et in prosperis et in adversis sua vos semper protegat benedictione.

21

Ad Ep. 267: Cf. Ep. superiorem. 11-12 in tribulatione] Ps. 9, 10.

Ep. 267 (prius IV, 21) coll. cum LPEFM 1-2 carissimis - monachis om. M
1-2 AELF.] .E. F 2 aedmundi F edmundi L (rasura l) M sal. et ben.
om. M 3 nimia] magna M 20-21 Omnipotens - benedictione] Valet F;
om. M

268.

Ad RICHEZAM sororem suam.

Nuntiat ei filii ANSELMI, qui secum est, longam et gravem aegritudinem et eius recuperatam sanitatem. - De suo male esse in Anglia refert. - Mandat, ne vir eius post reditum suum ad se veniat.

ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariæ : sorori suae carissimæ RICHAELAE salutem et dei in omnibus tribulationibus eius consolationem.

3 Scio, soror dilectissima, quia excepto viro vestro non est homo in mundo, cuius salutem et prosperitatem tantum nosse et audire desideretis, quantum meam et filii vestri ANSELMI, qui mecum est. Ego enim sum unicus frater
6 vester, et ille unicus filius vester. De iis quae erga nos sunt, legati vestri plenius vos docere poterunt viva voce quam ego per litteras. Sciatis tamen quia filius vester, nepos meus carissimus, postquam a vobis discessit, longam
9 et gravem aegritudinem passus, tandem deo miserante integram sanitatem recepit. De me vero dico quia sanus corpore sum, sed in magnis tribulationibus versatur cor meum, ita ut nec Angliam audeam propter timorem dei
12 fugere, nec in ea possim in ulla pace aut tranquillitate aut quiete vivere. Cotidie ita est cor meum suspensum, velut in proximo sim exiturus.

Sed quomodocumque sit de me, de vobis gaudeo, quia nuntii vestri
15 mihi retulerunt vestram salutem et prosperitatem. Quoniam autem et prosperitas et adversitas huius vitae breves sunt et transitoriae, istas contemnamus et aeternam adversitatem fugere et perpetuam prosperitatem mereri bene
18 vivendo contendamus. Cum ergo, soror carissima, in hac vita non habeatis in quo cor vestrum possit delectari: convertite illud totum ad deum, ut in futura vita de illo possit laetari. Vale.

21 Si vir vester redierit et ad me venire voluerit, mando ut nullo modo veniat.

Ad Ep. 268: Scripta post Ep. 264; a. 1103, ut videtur.

Ep. 268 (prius III, 67) coll. cum LPEV 6 De his V vestri] nostri
(corr. ex vestri?) V

269.

Ad WILLEMUM archiepiscopum Rotomagensem.

Queritur quod monachos s. Ebrulfi e coenobio S. Eadmundi nondum revocaverit, sicut se facturum promiserat, et eum obsecrat, ut succurrere festinet.

Domino et patri reverendo WILLELMO, archiepiscopo Rotomagensi: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, cum assiduis orationibus fidele servitium.

3

Pro iniuria, pro oppressionibus, pro gravaminibus, pro destructione ecclesiae Sancti Eadmundi clamavi ad paternitatem vestram, et nondum exaudistis clamorem nostrum; conquestus sum, et nondum sensi compassionem vestram. 6 Promisistis vos facturos quod rogaveram de monachis monasterii Sancti Ebrulfi, qui praedictam ecclesiam gravant, spoliant, destruunt, sed nimis moratur effectus promissionis vestrae. Adhuc clamo intimo cordis dolore cogente pro 9 me, ad cuius propriam curam pertinet illa ecclesia, et pro fratribus qui in ea conversantur. Propter deum, si zelum dei habetis, si episcopalem pietatem habetis: rogo, obsecro, ad vestigia vestra mente me prosterno: succur- 12 rite, miseremini orphanis et viduae ecclesiae, quibus pro patre ingeritur privignus, pro pastore lupus, pro ductore caecus, pro doctore nescius, pro abbate fur et latro, quia »non intrat per ostium«. Revocate monachos vestros, libe- 15 rate nos ab oppressionibus eorum. Facite ut abbas monasterii Sancti Ebrulfi revocet monachos suos, quos contra legem dei et ordinem suum in ecclesiam praedictam ingressit, et res eiusdem ecclesiae, quas inde abstulit sacrilega 18 rapina, iuste restituat. Valete, et succurrere, precor, festinate.

Ad Ep. 269: Scripta post Ep. 266. 5 clamavi] Cf. Ep. 266. 14 lupus]
Cf. Ioh. 10, 12. caecus] Cf. Matth. 15, 14. 15 ostium] Cf. Ioh. 10, 1.

Ep. 269 (prius IV, 22) coll. cum LPE 2 ANS.] .A. P 12 habetis]
hebetis P

270.

**Ad ROBERTUM comitem aliosque in episcopatu
S. Davidis terras habentes.**

*Eos hortatur, ut episcopum suum WILFRIDUM honorent eique oboediant,
et ut bona ecclesiastica, si qua teneant, reddant.*

ANSELMUS, Cantuariensis archiepiscopus: ROBERTO comiti et fratri eius ERNULFO comiti et RADULFO De Mortuo Mari et FILIPPO³ De Braiosa et BERNARDO De Novo Mercato, et aliis, qui terras habent in episcopatu de gentibus WILFRIDI episcopi, amicis et filiis in deo carissimis, salutem et benedictionem dei.

6 Quamvis vos ipsi solliciti esse debeatis de salute vestra: ad me tamen pertinet, ut vos ad hoc quod vos decet coram deo et animabus vestris expedit, excitem amica exhortatione et invitem paterna admonitione. Precor itaque vos ut amicos et consulendo moneo ut filios dilectos, quatenus dilecto fratri nostro WILFRIDO, episcopo de Sancto David, propter honorem vestrum et propter religionem Christianam, omnem reverentiam et oboedientiam, quae
12 episcopo in suo episcopatu debetur, cum amore exhibeatis, et quaecumque episcopali dispositione fieri debent, eius consilio faciatis. Sic enim vos ipsos ante deum exaltabitis, si vos religiosa humilitate episcopo vestro, sicut deus⁵
15 ordinavit, subieceritis. Et si in aliquo vestro consilio et auxilio opus habuerit: promptos vos ut Christianos bonos inveniat, quatenus deus vobis in omnibus necessitatibus vestris subveniendo retribuat.

18 Hoc quoque maxime moneo et consulo – quia vobis valde necessarium est, si deum non vultis offendere – ut, si terras aut decimas aut ecclesias aut aliquid quod ad ecclesiam eius ecclesiastica rectitudine pertinet, tenetis,
21 ei reddere propter timorem dei studiose curetis. Nam certum est quoniam qui deum exhaeredat vel ecclesias eius in hac vita: si sine paenitentia et emendatione moritur, a regno dei exhaeredatur in futura vita. Omnipotens
24 deus sic vobis det haec et alia bona in hoc saeculo operari, ut vos faciat de beata retributione in aeternum gloriari. Amen.

Ad Ep. 270: 1 ROB. etc.] De his personis cf. HADDON and STUBBS, *Councils*, t. I, p. 301, nota c. 4 WILFR.] Episcopus de S. David a. circa 1096-1112 (sive 1115).

Ep. 270 (prius IV, 23) coll. cum LPE

271.

Ad WILLELMUM archiepiscopum Rotomagensem.

Iterum appellat adversus abbatem S. Ebrulfi, qui monachum in S. Eadmundum ingessit, etsi neget eum suum monachum esse.

Domino et patri, reverendo archiepiscopo Rotomagensi WILLELMO: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, fidele servitium cum orationibus.

Clamavimus et iterum clamavimus et adhuc clamamus ad deum et ad 3 vos et ad totam ecclesiam Normanniae, maxime ad episcopos et abbates et omnes religiosas personas, de abbate coenobii Sancti Ebrulfi, qui quendam suum insipientissimum iuvenem, professione monachum non vita, ita, sicut 6 iam vobis scripsimus, inordinate et irreligiose in ecclesia Sancti Eadmundi pro abbate ingessit. Videte ne nobis necesse sit – ut familiariter reverendo meo patri loquar – clamare ad deum de vobis, ad quem pertinet hoc cor- 9 rigere, si contemnitis.

Dicit, ut mihi relatum est, idem abbas illum non esse suum monachum, sed de Sancto Severo. Sed secundum quod ipse in Anglia confessus est, sicut 12 ab audiente didici, professus est ecclesiae suae, et ideo non est verum quod negat eum suum esse monachum. Denique ipse, quomodocumque sit de professione, ipse, inquam, ecclesiam impedivit, ipsum cogite, quantum ad vos 15 pertinet et quantum potestis, ut eam expediat. Nimis caro vendidit nobis lupulum suum. Ecclesiam rebus suis et homines ecclesiae sua violentia, illis nolentibus, sine quorum consensu fieri non debuit, spoliavit et talem mona- 18 chum, qualem saepe vobis ostendi, in eandem ecclesiam immisit et ad iniuriam dei et contumeliam monachici ordinis ibi dimisit. Obsecro, facite ut reddat ecclesiae quod abstulit, et recipiat quod intulit. Valete. 21

Ad Ep. 271: Scripta post Ep. 266 et 269. 7 scripsimus] Cf. Ep. 266 et 269. 12 de S. Severo] In diocesi Constantiensi (= Coutances).

Ep. 271 (prius III, 68) coll. cum LPEV 7 edmundi LV (ed sup. ras.)

272.

Ad PASCHALEM papam.

Precibus ecclesiae Belvacensis annuens episcopum electum GUALONEM dignum esse testatur, et ut in episcopatu firmetur precatur.

Reverendo domino et patri PASCHALI, summo pontifici: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, debitam subiectionem et fideles orationes.

3 **E**cclēsia Belvacensis, vestro consilio directa et auctoritate roborata, domnum GUALONEM, abbatem ecclesiae Sancti Quintini, eligit et electum desiderat sibi constitui episcopum. Est enim, in quantum humana potest iudi-
6 care cognitio, sic aptus et utilis ad hoc in omnibus, quae in eligendo episcopo considerata sunt, ut melior vel aptior in eadem ecclesia inveniri nequeat. Sed quoniam desideranti nihil sufficit, donec quod desiderat asse-
9 quatur: non est contenta eadem ecclesia suis precibus, sed et aliorum, quos suum desiderium apud vestram celsitudinem adiuvere posse existimat, auxilium studiose postulat. Est enim experta in praeteritis temporibus et in simi-
12 li negotio multos esse, quorum consuetudo est malum dicere bonum et bonum malum, et quaerere plus quae sua sunt quam quae IESU Christi, et qui acuunt » linguas suas sicut serpentes «; quos timet, ne simulata columbina
15 simplicitate suo veneno bonum inceptum inficere et annihilare contendat. Quamvis igitur longe nunc sim ab illa, tamen propter familiarem dilectionem quam invicem habemus, et propter notitiam instant mihi, quatenus quid de
18 eiusdem viri testimonio sentiam, sanctitati vestrae fideliter suggeram, et quantum in me est, apud eam, ut quod desiderant, nulla occasione annihilentur, precibus quibus possum efficiam.

21 De persona itaque quam eligunt, secundum conscientiam meam loquor quia in praedicta ecclesia ad episcopatum nec meliorem nec aequalem inve-

Ad Ep. 272: Scripta a. 1100-1103. 4 GUAL.] Episcopus Belvacensis (= Beauvais) a. 1100; ep. Parisiensis a. 1104/5-1116. ecclesiae S. Quintini] Extra muros civitatis Belvac. sitae. 13 Christi] Cf. Phil. 2, 21. 14 serpentes] Cf. Ps. 139, 4 (Vulg.: serpentis).

Ep. 272 (prius III, 69) coll. cum LPEVFM 1 ANS.] .A. FM 4 GUAL.] .G. FM elegit VFM (in L eligit in rasura!) 8 nequeat] non queat M 14 sicut serpentes] s. s. M 16 nunc longe FM 17 instat M 19 desiderat M 21 eligunt] hoc add. FM

niri posse intelligo, nec aliquid de illo aut fama aut experimento, quod eius obstat electioni, aliquando sensi, sed multa quae eius electionem approbant, 24 experimento et fama cognovi. Quapropter licet de vestra auctoritate, quod ex vobis est, non dubitemus: tamen quibus possumus mente ad vestigia vestra prostrati precibus flagitare praesumimus, quatenus eidem ecclesiae post multas, 27 quas nostis, tribulationes quas passa est, misericordia vestra subveniat, et quod bene inceptum est, sine dilatione perficiat.

Omnipotens deus diu nobis vestram paternitatem in prosperitate conser- 30 vet. Amen.

273.

Ad ROBERTUM principem Normanniae.

Commendat WILLELMUM, electum episcopum Wintoniensem, quem rex HENRICUS ex Anglia expulserat.

Suo domino et totius Normanniae principi ROBERTO: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, fidele servitium cum orationibus.

Qualiter domnus WILLELMUS, electus episcopus Wintoniensis, de 3 Anglia exierit, non est opus scribendo ostendere, quoniam per ipsum et per alios, qui rem ipsam cognoscunt, poteritis discere. Sed quoniam ad me maxi- me pertinet illi compatiendo et per me et per alios, quantum possum, sicut 6 debeo, subvenire: precor celsitudinem vestram – si quid apud eam valeo quod deceat impetrare –, quatenus in vobis sicut homo vester et sicut illi cognoscetis expedire, auxilium et consilium cum amore inveniat. 9

Ad Ep. 273: Scripta a. 1102-1103. 3-4 exierit] Cf. *Hist. Nov.* 144 ss.; 440 s.

24 approbent *M* 30-31 Omnipotens - Amen om. *M*
IV, 24) coll. cum *LPE* 1 ANS.] .A. *P*

Ep. 273 (prius

274.

Ad WILLELMUM archiepiscopum Rotomagensem.

Laudat et commendat eundem episcopum Wintoniensem, qui olim canonicus et decanus ecclesiae Rotomagensis fuit.

Domino et patri WILLELMO, reverendo archiepiscopo Rotomagensi: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, fideles orationes cum servitio.

3 Cum semper gaudere et deo gratias agere debeamus, quotiens servos
dei gloriam mundi pro Christi amore contemnere videmus, nec ulla violentia
aut blandimentis a rectitudine posse separari: tunc utique hoc maxime face-
6 re debemus, cum in filiis et familiaribus nostris dei gratiam hoc cognoscimus
operari. Quanta autem virtute, quanta constantia dominus WILLELMUS,
filius vester et gratia vestra noster, quem canonicum et decanum ecclesiae
9 vestrae electum canonicè episcopum Wintoniensi ecclesiae nobis caritative
concessistis, consecrationem ab iis a quibus eam, sicut offerebatur, recipere
non debebat, respuerit, et quomodo propter hoc rebus suis spoliatus et de
12 Anglia expulsus sit: nullius scripto melius quam eius viva voce et eorum qui
cum illo, quando haec facta sunt, adfuerunt, paternitas vestra cognoscere
poterit. Quae res, quantum in ipso est, tam fortiter facta est, tamque patenti
15 honestate se manifestat, ut nullius relatione ad laudem eius augeri valeat.

Quapropter, quamvis nostra prece prudentia vestra non egeat, tamen
ex cordis abundantia obsecro, ut eum benigne sicut filium vestrum et meum
18 pro iustitia exsultantem suscipiat, atque cum amore et honore ei auxilium
suum et consilium, ubi res exiget, exhibeat. Aliis quoque quod ab illo de
hac re reverentia vestra audiet, secure pro veritate testetur, et eos ad eius
21 amorem et honorem, sicut meruit, exhortetur. Valete.

Ad Ep. 274: Scripta eodem tempore quo Ep. superior.

Ep. 274 (prius IV, 25) coll. cum LPE 2 ANS.] .A. P

275.

Ad ROGERIUM.

Hortatur eum, ut veritatem amicitiae suae erga eundem WILLELMUM in necessitate versantem probet.

ANSELMUS archiepiscopus: amico suo ROGERIO salutem et benedictionem.

Vulgo solet dici quia amicus velut medicus in necessitate probantur. 3
Hoc ideo dico quia, si vera fuit amicitia, quam domno WILLELMO, electo episcopo, in prosperitate ostendistis, nunc apparebit et maior erit et constantior in maiori necessitate. Ad quod si preces nostrae et monitio nostra 6
bonae voluntati vestrae possunt aliquid addere, obsecro ut propter honestatem vestram et propter amorem nostrum in iis, quae hactenus bene et fideliter illum adiuvando fecistis, non deficiatis, sed quanto magis illum indigere 9
cernitis, tanto studiosius strenuitatis vestrae auxilium illi exhibeatis. Quod si feceritis, et me amicum vestrum amiciores vobis reddetis, et amicitiam vestram omnibus veram esse ostendetis. Valete. 12

Omnipotens deus tribuat tibi omnium peccatorum tuorum absolutionem et remissionem et orationum mearum, si quid valent, in vera caritate participationem. 15

276.

Ad ATHELITS abbatissam Wintoniensem.

Consolatur eam de expulsionem eiusdem WILLELMI propter iustitiam facta.

ANSELMUS archiepiscopus: matri reverendae et filiae carissimae ATHELITS, abbatissae Wintoniensi, salutem et benedictionem.

Ad Ep. 275: Scripta eodem tempore quo Ep. duae superiores. **Ad Ep. 276:** Scripta eodem fere tempore quo Ep. superiores. 2 ATH.] De ea cf. Ep. 236 et 237.

Ep. 275 (prius IV, 26) coll. cum LPE 1 ROG.] sic g (e cod. C); .R.
LPE **Ep. 276** (prius III, 70) coll. cum LPEV

3 Qualiter et cur domnus WILLELMUS, electus episcopus, de Anglia
 exeat, non est opus hic scribere, quia per multos alios hoc potestis cogno-
 scere. Quanto autem gaudio et cum quanta gratiarum actione, quia hunc
 6 honorem illi facit deus, suscipere debeatis, religio et prudentia vestra intel-
 liget, si intente consideratis. Maior enim gloria et laus est illi apud deum
 et bonos homines, quia spoliatur et expellitur pro iustitia, quam si omnibus
 9 divitiis et omni mundana possessione ditaretur, violata iustitia. Gaudeant igi-
 tur et exsultent amici eius, quia nulla violentia, nullo timore potuit supe-
 rari, nec ulla cupiditate a veritate separari. Haec sit vestra de eius expul-
 12 sione consolatio, et ad hoc, ut deus illum corroboret et consoletur, vestra
 cotidiana sit oratio. Saluto et benedico filias vestras et meas, quantum possum.

277.

Ad MALCHUM episcopum Weterfordensem.

*Eum precatur, ut SAMUELI, episcopo Dublinensi, litteras, quae isti quae-
 dam corrigenda suggerunt (cf. Ep. sequentem), tradat.*

ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariæ: amico et coepiscopo MALCHO
 Weterfordensi salutem et benedictionem.

3 Audiui quod domnus SAMUEL, episcopus Dublinensis, monachos
 ecclesiae Dublinæ aut nulla aut parva occasione eicit, nec pro ulla satisfac-
 tione vult recipere, et quia contra consuetudinem crucem facit gestari ante
 6 se in itinere, et quia res ecclesiae illius ab archiepiscopo LANFRANCO
 datas velut proprias distribuit. De iis omnibus illi nostras mitto litteras, et
 populo eiusdem civitatis mando, ut praedictarum rerum distributionem prohi-
 9 beat. Et quoniam non invenio per quem litteras nostras illi aptius mittam:
 precor fraternitatem vestram, quatenus eas illi per praesentiam vestram exhi-
 beatis et eum caritative viva voce, ut monitioni nostrae quam illi scribimus
 12 assensum praebeat, rogando et consulendo moneatis. Valete.

Ad Ep. 277: Scripta a. 1100-1103. 3 SAM.] De eo cf. ad Ep. 201. 7
 litteras] Cf. Ep. sequentem.

9 dilaretur P 13 possum] expunctis verbis prebeat rogando et consulendo mo-
 neatis (cf. finem Ep. sequentis) sequitur Valete (cf. ibidem) V **Ep. 277 (prius**
III, 27) coll. cum LPE

278.

Ad SAMUELEM episcopum Dublinensem.

Eum admonet, ne rebus, quae ad opus ecclesiae a LANFRANCO archiepiscopo datae sunt, velut de suis disponat; ut monachos eiusdem ecclesiae quos eiciebat revocet; ne amplius crucem in via ante se portari faciat.

ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariæ: venerabili fratri SAMUELI, Dublinæ civitatis episcopo, salutem.

Audivi quod libros et vestimenta et alia ornamenta ecclesiae, quae 3 domnus LANFRANCUS archiepiscopus dedit avunculo tuo, domno DONATO episcopo, ad opus ecclesiae, cui tua fraternitas praesidet, tu pro voluntate tua exponis et ea extraneis das. Quod si verum est, miror cur ita facias, 6 cum ipsa ornamenta non ei, sed ecclesiae data sint, sicut fratres, Cantuariensis ecclesiae filii, attestantur. Unde moneo et monens rogo te, quatenus, si aliquid de praedictis rebus extra ecclesiam datum est, celeriter illud restitui facias. 9

Item audiivi quod monachos, qui in ipsa ecclesia ad serviendum deo congregati erant, expellas et dispergas, nec redire volentes ullatenus recipere velis. Quod si ita est, non te decet. Officii siquidem tui scitur esse magis 12 dispersa congregare quam congregata dispergere. Quapropter mando tibi ut, si aliqui abiecti sunt et redire volunt seseque in dei servitio sub oboedientia custodire, eos suscipias et saluti eorum per paternum affectum studiose inten- 15 das, nisi – quod absit! – huiusmodi causa in illis obsistat, quae hoc fieri omnino prohibeat.

Praeterea audiivi quia facis portari crucem ante te in via. Quod si 18 verum est, mando tibi ne amplius hoc facias, quia non pertinet nisi ad archiepiscopum a Romano pontifice pallio confirmatum, neque decet te, ut ulla praesumptione insolitae rei te notabilem et reprehensibilem hominibus 21 ostendas. Vale.

Ad Ep. 278: Data eodem tempore quo Ep. praecedens. fuit monachus Cantuariensis, cf. Ep. 198.

4 DON.] De eo, qui

Ep. 278 (prius III, 72) coll. cum LPEVFM 1 Cantuar.] .C. M SAM.]
 .S: FM 3-10 Audiivi - Item om. FM 4 avinculo P 10 ipsa om. FM
 ecclesia] cui tua fraternitas praesidet (cf. lin. 5) add. FM 11 et] atque M 20
 Romane P 22 Valet LPE; om. M

279.

Ad WILLELMUM archiepiscopum Rotomagensem.

Commendat domnum WIDONEM de Anglia in Normanniam ad suam ecclesiam revertentem.

Domino et patri, reverendo archiepiscopo Rotomagensi WILLELMO: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, quod patri filius.

- 3 Quamvis domnus WIDO, lator praesentium, olim vobis ut domino et patri familiari notitia, ut ait, adhaeserit: tamen, quia novit quanta inter vos et me mutua sit dilectio, nostris litteris vestrae commendari petit sanctitati.
- 6 Sciat igitur vestra paternitas quia cum nostra amicitia et licentia redit de Anglia in Normanniam ad suam ecclesiam. Quod precor, ut apud quoscumque opus fuerit, vestra testetur auctoritas. Precor etiam ut, ubi vestro consilio et auxilio eguerit, secundum quod vestram decet reverentiam, ad salutem animae suae promptum inveniatur. Valete.

280.

Ad PASCHALEM papam.

Gratiis actis de bona exceptione legatorum suorum, papae nuntiat regem litteras sibi regique missas neglexisse, cum episcopi legati aliter se a papa viva voce audisse affirmarent. Precatur inde papam, ut sine ambiguitate voluntatem suam circa investituram ostendat, et quid cum iis, qui intra inducias, de quibus convenit, investituras accipiant et qui eos consecrent, agendum sit se instruat. - Quaedam, extra hanc cartam per latores praesentium suggerit.

Domino et patri reverendo PASCHALI, summo pontifici: ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, debitam subiectionem et fidele servitium.

Ad Ep. 279: 3 WIDO] Eum fuisse monachum S. Stephani Cadumensis (= Caen), cuius abbas olim archiepiscopus WILLELMUS fuit (usque ad a. 1079), probabile mihi videtur. **Ad Ep. 280:** Scripta videtur aestate a. 1102.

Ep. 279 (prius IV, 28) coll. cum LPE **Ep. 280 (prius III, 73) coll.**
 cum LPEVFM; cod. Lond. Mus. Brit. Stowe 31, s. XII. (= J); Vindobon. 533,
 s. XII. (= W); Parisin. 2887, s. XII. (= Z) 1 (D) litt. initial. deest W
 patri om. mss. praeter WZ PASCH.] .P. FM ANS.] .A. FM 2
 ecclesiae - servitium] e. c. d. s. et f. o. (sic) M

In primis quantas mea potest humilitas celsitudini vestrae gratias agit, 3 quia legatos nostros tam benigne et honorifice suscepistis et tractastis, ut in hoc me de pietate vestra ultra meritum posse confidere cognoscam.

Cartam quam mihi a vestra maiestate attulerunt, ea qua debui reve- 6 rentia suscepi, sed rex Angliae nec eam videre, nec illam quam illi misistis mihi voluit ostendere. Nam archiepiscopus Eboracensis et alii duo episcopi, cum quibus legati nostri vestrae se exhibuere praesentiae, redeuntes aliud 9 viva voce retulerunt quam scriptura cartae mihi praecipiebat. Asserunt enim publice in ea veritate, quam servare debent episcopi, vos secrete verbis per eos mandasse regi quia, si in aliis recte ageret, investituras ecclesiarum nec 12 prohiberetis nec excommunicationi subiceretis, si eas faceret; sed hoc cartae nolebatis committere, ne forte alii principes, quibus hoc ipsum interdicitur, occasionem conquerendi inde possent accipere. Mihi quoque ex vestra parte 15 in eadem episcopali veritate dixerunt, ut illis de hac re crederem et eorum consilio me committerem. Ad quod si nollem acquiescere, rex etiam me contradicente ex vestra auctoritate incunctanter quod non prohibebatis secun- 18 dum libitum suum efficeret; et si in hoc quod carta vestra mihi iubebat, persistere vellem, me absque dubio de regno suo expelleret. Tandem cum nec litteris vestris vellem non credere, nec tantam episcoporum assertionem 21 vestram praeferentium auctoritatem auderem contemnere – quoniam in utraque parte gladius mihi vibrabatur inoboedientiae –: eorundem episcoporum consilio inducias petii, donec a vestra excellentia huius rei certitudinem acciperem, 24 me tamen nullatenus assensum praebente, ut aliquid contra decretum concilii Romani fiat, sed tantum tolerante, nec aliquem interim inoboedientiae nota damnante, si fiat. Sic itaque rex vestra, ut putat, auctoritate episcopatus dat 27 atque abbatias.

Mente igitur ad vestra vestigia provolutus, quanto possum affectu, in magna angustia positus obsecro, ut apostolicam erga animam meam experiar 30 in vobis esse pietatem, et ad hoc impetrandum totius Romanae religionis

4 legatos nostros] BALDEWINUM et ALEXANDRUM (cf. Ep. 223). 7 sed rex] Ad sequentia cf. *Hist. Nov.* 137 ss.; 435 ss.

3 quanta WZ 7 Angliae] Anglorum Z Angliae W illi] ei M 8 mihi ostendere voluit J eboracensis W 13 si ea Z 15 inde om. M 16 episcopali] pietate vel add. WZ 17-18 contradicente me Z 19 iubebat] videbat W 21 nec¹] de W 27 Sic] Si W putet J (putat corr. ex putet L) dat] donat M 29 igitur] ergo W

supplex invoco caritatem. Non timeo exsilium, non paupertatem, non tormenta,
 33 non mortem, quia ad haec omnia deo confortante paratum est cor meum
 pro apostolicae sedis oboedientia et matris meae, ecclesiae Christi, libertate.
 Certitudinem tantum quaero, ut sciam absque omni ambiguitate quid auctoritate
 36 vestra tenere debeam.

Audivi in Romano concilio a venerabilis memoriae domno papa URBA-
 NO excommunicari reges et omnes laicos investituras et res ecclesiarum dantes
 39 et ab illis accipientes, et qui propter hoc eorum homines fiunt, et eos qui
 accipientes consecrant. Aut ergo, si sanctitati vestrae placet, hanc excom-
 municationem in Anglia absolvite, ut in ea possim manere sine animae meae
 42 periculo; aut eam vos servare velle, quidquid mihi inde contingat, vestris
 litteris significate; aut si quid discretioni vestrae placet excipere, eadem
 certitudine nominatim quid illud sit intimate. De illis quoque, qui intra prae-
 45 dictas inducias investituras prohibitas accipiunt et qui eos consecrant, quid
 mihi faciendum sit vestra instrui iussione desidero.

In iis quae per latores praesentium extra hanc cartam paternitati vestrae
 48 suggero, ut preces nostras dignetur non spernere suppliciter expostulo.

33 deo confortante *om. M* 35 quid] cum quid *W* 37 venerabili *W* dom-
 no] donno *J* papa] romano *add. J* URB.] .U. *FM* 39 homines eorum *MJ*
 42 contingato *W* 43 excipere] experiri *WZ* 45 prohibitas *om. M (in F insert.)*
 46 instrui vestra *W* 47-48 In iis - expostulo *om. M* 47 In his *VW*
 48 expostulo] Valete *add. WZ*

281.

A PASCHALI papa.

Dolet quod episcopi legati regis quae ipse nec dixerit nec cogitaverit retulerint. – Probat ex auctoritatibus improbitatem investiturae laicae. – Episcopos et omnes, qui intra inducias investituram seu consecrationem acceperunt (ordinatores et ordinatos), excommunicat.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei: ANSELMO Cantuariensi, venerabili fratri et coepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Suavissimas dilectionis tuae suscepimus litteras caritatis calamo scriptas. Neque enim aliud cartae calamus indidit, quam quod de fonte caritatis intinxit. In his reverentiam devotionis tuae complectimur, et perpendentes fidei tuae robur et piae sollicitudinis instantiam exultamus, quia gratia dei tibi praestante auxilium te nec minae concutiunt nec promissa sustollunt.

Dolemus autem quia, cum fratres nostros episcopos, legatos regis Anglorum, benigne suscepissemus, quae nec diximus eis nec cogitavimus, redeuntes ad propria retulerunt. Audivimus enim eos dixisse quia, si rex in aliis bene ageret, nos investituras ecclesiarum nec prohibere nec factas excommunicare, et quod id eo nolebamus cartae committere, ne sub hac occasione et ceteri principes in nos inclamarent. Unde JESUM, qui renes et corda scrutatur, in animam nostram testem inducimus, si, ex quo huius sanctae sedis curam coepimus gerere, hoc immane scelus vel descendit in mentem. Et hoc a nobis deus avertat, ut est et non subrepando nos inficiat, ut aliud

Ad Ep. 281 (JAFFÉ-LOEW. 5928): Data d. 12. Decembris a. 1102, apud Beneventum. Respondet litteris praecedentibus; ab ANSELMO aperta solummodo post exitum de Anglia, in monasterio Beccensi (cf. *Hist. Nov.* 148 s.; 442). 13-14 scrutatur] Cf. Ps. 7, 10.

Ep. 281 (prius III, 74; 168) coll. cum *LPEVFMJWZr* in *M* notatur: Paschal. episcopus .A. coepiscopo. Suavissimas dilectionis tue. Require in Decretis Pontificum 1 (P) littera init. deest *W* ANS.] .A. F 4 quod om. *P*
5 devot. t. reverentiam *J* 10 enim om. *WZ* bis *V* 11 nec prohib.] non prohib. *WZ* 12 ne] nec *W* 13 et ceteri] et om. *F* inclamarent] clamarent *J* 13-14 scrutatur et corda *J* 15 hoc in immane *P* immane] mane *W*
mentes *Z* 16 Et] et *LPEV* inficiat] incipiat *W* ut aliud] et aliud *PVFJW*

habeamus ore promptum, aliud cordi reconditum, cum contra mendaces
18 propheta imprecetur dicens: »Disperdat dominus universa labia dolosa«.

Si vero nostro silentio pateremur ecclesiam felle amaritudinis et impie-
tatis radice pollui: qua ratione possemus apud internum iudicem excusari,
21 cum dominus sub specie sacerdotum dicat prophetae: »Speculatorem te dedi
domui Israel«? Non bene custodit urbem, qui in specula positus, dum non
obsistit, eam hostibus diripiendam exponit. Si ergo virgam, pastoralitatis signum,
24 si anulum, signaculum fidei, tradit laica manus: quid in ecclesia pontifices
agunt? Ecclesiae honor atteritur, solvitur disciplinae vigor, et omnis religio
Christiana conculcatur, si quod novimus sacerdotibus solis deberi, laica patia-
27 mur temeritate praesumi. Non est laicorum ecclesiam tradere, nec filiorum
matrem adulterio maculare. Iure igitur privandus est patrimonio, qui matrem
polluit adulterio. Nec meretur ecclesiasticae benedictionis consortium, qui eam
30 impia infestatione insequitur. Laicorum enim est ecclesiam tueri, non trade-
re. OZIAS quidem, cum illicitum sibi sacerdotium vindicaret, lepra percus-
sus est. Filii quoque AARON, quia alienum ignem imposuerunt, igne divi-
33 no consumpti sunt. Alienum est enim ab ecclesia et a sacris canonibus est
inhibitum, ne principes et saeculares viri investituras non solum non dare,
sed nec electioni episcoporum se audeant violenter inserere. In septima quip-
36 pe synodo, ut nostis, scriptum est: »Sancta et universalis synodus definivit
neminem laicorum principum vel potentum semet inserere electioni vel pro-
motioni episcoporum«. Si ergo filii AARON, quia ignem alienum intulerunt,
39 corporaliter puniti sunt, isti qui a laicis, a quibus alienum est, ecclesiam
susceperunt, spirituali gladio feriuntur.

Episcopos autem, qui veritatem in mendacio invocarunt, ipsa veritate,
42 quae deus est, in medium introducta: a beati PETRI gratia et a nostra

18 dolosa] Ps. 11, 4. 21-22 Israel] Ez. 3, 17; 33, 7 (Vulg.: dedi te). 31-
32 percussus est] Cf. 2 Par. 26, 16 ss. 32-33 consumpti sunt] Cf. Lev. 10, 1 s.;
Num. 3, 4. 35-38 episcoporum] Cf. can. 3 concilii Nicaeni II. a. 787 (DENZIN-
GER n. 305). 41-42 deus est] Cf. Ioh. 14, 6.

17 promptum] promotum J promotum corr. ex promptum V corde J 26-27
patimur Z 30 est enim Z non om. W 31 vindicaret F 32 quia]
quid W 33 enim est FW a sacris] a om. WZ a insertum V cano-
nibus sacris Z 34 non dare] non om. r 35 episcoporum om. J 36
scriptam (!) r 37 principum V 39 puniti] puncti J 41 invocarunt] com-
mutaverunt LPEVFJ

societate excludimus, donec Romanae ecclesiae satisfaciant et reatus sui pondus agnoscant. Quicumque vero intra praedictas inducias investituras seu consecrationem acceperunt, a consortio fratrum et ordinatos et ordinatores⁴⁵ alienos habemus; nec eis ad excusationem deceptio sufficit, quia et propheta ab alio propheta deceptus, nec ideo mortem evasit.

Rogamus interea caritatem tuam nos tuis sanctis precibus commenda-⁴⁸ ri, ut quanto propius ad deum passibus virtutum acceleras, nobis orationum tuarum manus extendas. Omnipotens deus, qui te huius stadii invitavit ad cursum, felici consummatione perducatur ad praemium.

51

Datae II. Idus Decembris apud Beneventum.

282.

Ab eodem.

In memoriam eius revocat patres investiturae laicae severe obviasse, et in concilio Barensi contra eam excommunicationem prolatam esse. — De filiis sacerdotum et levitarum, de quibus iam prius scripserat, mitius agendum esse respondet. — Causam Gualensis episcopi eius iudicio permittit. — De munere beato PETRO misso gratias agit.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri ANSELMO, Cantuariensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Adversus illam venenosam Simoniace pravitate radicem, ecclesiarum³ videlicet investituram, quam valide, quam robuste, quam severe patres nostri praeteritis temporibus obviaverint, sapientiae tuae satis est manifestum. Reverendae in Christo memoriae praedecessoris nostri domni URBANI tempore,⁶

46-47 evasit] Cf. 3 Reg. c. 13. 50-51 cursum] Cf. 1 Cor. 9, 24. **Ad Ep. 182** (JAFFÉ-LOEW. 5929): Data Beneventi d. 12. Decembris a. 1102; simul cum Ep. praecedente.

45 ordinatores (ordinationes *r*) et ordinatos *WZr* 46 quia *bis V* 47 propheta *om. W* deceptus] est *add. W* 49 proprius *WZ* 50 qui te *om. J* invitavit] mutavit; *superscript.* vel invitavit *Z* 50-51 ad cursum invitavit (*insert.*) *J* 52 Datae - Beneventum] Amen *LPEVJ* Vale *WZ om. F*
Ep. 282 (prius III, 167) coll. cum *MDr* 1 venerabili *om. D* 1-2 venerabili - benedictionem *om. M* 2 Cantuariensi - benedictionem *om. D* 5-6 Reverendae] vero *insert. M add. D* 6 domini *r*

apud Barim collecto venerabilium episcoporum et abbatum ex diversis partibus concilio, in quo tua religio et nos ipsi interfuimus, sicut fratres qui nobiscum aderant reminiscuntur, in eandem pestem excommunicationis est prolata sententia. Et nos, eundem cum patribus nostris spiritum habentes, idem sapimus et eadem testamur.

12 *De sacerdotum et levitarum filiis dudum nos tibi scripsisse reminisceris. Porro si promoti fuerint inventi, et spe promotionis adempta, in eo quo reperti sunt ordine manere voluerint, quia illa eis macula non ex proprii*
15 *culpa reatus inhaesit: non videtur – si alias digni fuerint – in eos depositionis sententiam dari, ut se iterum negotiis implicent saecularibus, cum in eis ordinationis tempore propriae voluntatis arbitrium non remanserit.*

18 *Gualensis episcopi causam sacris omnino canonibus obviare non nescis. Ceterum, quia inter barbaros barbarice et stolide promotus est, in tuae fraternitatis arbitrio ponimus. Sic tamen, ut de cetero in ea regione huiusmodi*
21 *non praesumatur adversio. Quod super eiusdem episcopi negotio et aliis rebus per fideles nuntios dirigimus, tamquam ex nostro ore audias.*

Munera quae beato PETRO misisti, recepimus cum gratiarum actione; unde ab illo, qui omnium bonorum est retributor, mercedem recipias.

Datae Beneventi, II. Idus Decembris.

12 scripsisse] Cf. Ep. 223. 18 Gualensis episcopi] An agatur de HEREWARDO Landaviensi, qui in Ep. 175 ab ANSELMO interdictus dicitur?

11 testamur] *paragr. MD* 13 adempta] *adepta D* 16 sententiam *M* 16
impliceant *D* 21 adversio] *littera d erasum in M* aversio *D* 24 omium *M*
25 Datae - Decembris *om. MD*

283.

Eiusdem ad GERARDUM archiepiscopum Eboracensem.

Ei praecipit, ut ANSELMO professionem faciat, sicut eius praedecessor THOMAS eam LANFRANCO, papa ALEXANDRO praecipiente, fecerit.

PASCHALIS episcopus, servus servorum dei: venerabili fratri GERARDO, Eboracensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quamquam prave adversum nos, immo contra matrem tuam, sanctam 3 Romanam ecclesiam, te non ignoremus egisse, praesentibus tamen litteris tibi mandamus, ut professionem tuam venerabili fratri nostro ANSELMO, Cantuariensi episcopo, facere non negligas. Audivimus enim THOMAM, 6 quondam praedecessorem tuum, ex hac eadem re contentionem movisse; et cum in praesentia domni ALEXANDRI secundi papae ventilata esset, ex praecepto eius, definitione habita post varias quaestiones, LANFRANCO, 9 praedecessori suo, et successoribus suis eandem professionem fecisse. Unde et nos, quod tunc temporis definitum est, volumus, auctore deo, firmum illibatumque servari.

12

Data Beneventi, pridie Idus Decembris.

Ad Ep. 283 (JAFFÉ-LOEW. 5930): Data Beneventi d. 12 Decembris a. 1102. Haec epistola cum superiori videtur esse responsum ad ea, quae ANSELMUS 'extra cartam' (cf. Ep. 280) per legatos a papa petivit.

Ep. 283 (prius III, 131) coll. cum LPEVFM in M solummodo notatur: Pasch. papa eidem Girardo. Quamquam te prave. Requ. in Decretis Pontificum 1 venerabili fratri om. F 1-2 GER.] Genardo V .G. F 2 episcopo ebor. F 3 tuam om. V 4-5 tibi litteris F 5 ANS.] .A. F 6-7 praedec. tuum T. quondam F 10 praedecessori suo L. F 13 pridie] II. F

284.

Ab IOHANNE cardinali.

Eum confortat in vindicandis ecclesiae iuribus contra regem et falsos episcopos.

Domino ANSELMO, Cantuariorum reverentissimo archiepiscopo a deo electo: IOHANNES, sanctae Romanae ecclesiae cardinalis et sacerdotum
3 minimus, prosperos semper successus in domino.

Nos qui ad ecclesiastici certaminis palaestram inunguimur, apostoli
testimonio, venerabilis pater, instruimur, ut ab omnibus sarcinis nos debeat
6 mus absolvere, quae cursum nostrum et »supernae vocationis« »bravium«
valeant praepedire. Ut enim praedictum »cymbalum tinniens« dicit: »nemo
militans deo implicat se negotiis saecularibus«: nos, qui deo militamus,
9 vestimenta mundi debemus in mundo deserere, ut cum IESU qui in cruce
spoliatus est, et cum HELIA qui pallium HELISEO reliquit discipulo, ca-
leamus caeli secreta penetrare. Hoc etiam significat quod femur patriarchae
12 IACOB emarcuit et uno pede post luctam angeli semper claudicavit, ut
innitatur uno pede divini amoris et infirmemur in pede praesentis saeculi.

Ad Ep. 284: Scripta a. 1102, mense Decembri, ut mihi videtur (cum W. HOLTZMANN, contra WILMART, qui eam mense Aprili scriptam esse putat). 2 IOH.]
 Ad eum (et IOHANNEM episcopum Tusculanensem) scribit ANSELMUS Ep. 339.
 4 inunguimur] Cf. 2 Cor. 1, 21. 4-5 testimonio] Cf. 1 Cor. 9, 24. 6 cursum
 nostrum] Cf. ibidem. bravium] Cf. Phil. 3, 14. 7 cymb. tinniens] 1 Cor.
 13, 1. 7-8 saecularibus] 2 Tim. 2, 4. 9-10 spoliatus est] Cf. Matth. 27, 35.
 10 discipulo] Cf. 4 Reg. 2, 11 ss. 11 caeli secreta penetrare] Cf. s. GREGO-
 RIUS Magnus, *Dialog.* I. II, c. 34 (PL 66, 196). 11-12 claudicavit] Cf. Gen.
 32, 25-31.

Ep. 284 (WILMART A., *Rev. Bénédicte*. 1928, p. 264 s. [= w]; HOLTZMANN, *Papsturkunden in England*, t. I, p. 222-224 [= h]) coll. cum cod. Bodl. Laud. Misc. 117, s. XII. (= Mⁱ); Berol. Phill. 1694 (Catalogi n. 180), s. XII. - XIII. (= H); Vindobon. 533, s. XII. (= W); Bodl. Tanner. 383, s. XVI. (= R); cum wh; ex h notavi lectiones varias cod. Lond. Mus. Brit. Addit. 32091, s. XII. (= O)
 1 (D) litt. init. deest W 2 sanctae] om. W sedis add. Mⁱ 4 inungi-
 mur Mⁱ w 5 patris R 7 tinniens] timuens W Nemo w 8 saecul.
 negotiis R Nos Mⁱ HW 9 mundi] huius add. W Jhesu w 11
 secreta caeli W patriarchae om. Mⁱ 13 innitatur] imitatur O iunitavit W
 saeculi om. W

*Hos etiam pedes dominus ostendit, cum dicit: »nemo potest duobus dominis servire«, deo et mammonae. Quapropter, sanctissime pater, age quod agis, 15
operare quod operaris, ne des locum tuum alienis. Et si in agone pro
Christi amore suscepto graviter videris desudare, illud hortamentum IACOBI
ut laeta mente studeas apprehendere quod dicit: »omne gaudium existimate, 18
fratres carissimi, cum in varias tentationes incideritis«, quoniam »probatio
vestrae fidei patientiam operatur«.*

*Audivimus, pater venerabilis, audivimus voce forti, aure interiori per 21
reverendos fratres nostros BALDEWINUM et ALEXANDRUM, quid tu,
praeco iustitiae, pro iustitia patiaris, et quantum iustitiae pariter et constan-
tiae clipeo contra regia iacula muniaris, et gladio bicipiti, »quod est verbum 24
dei«, »super femur tuum« potenter accingaris. Sed recordare quaeso, fortis
athleta dei, ut vineam Sorech, vineam quam plantavit altissimus, nulli
vendas regi, nulli commodas homini, quia hoc exemplum omnibus cultoribus 27
ecclesiae sanctis NABOTH memoriale reliquit, qui prius mori quam vineam
suam ACHAB vendere decrevit. Hinc est quod ISAIAS post mortem
OZIAE vidit dominum sedentem solio excelso, quia regnante nobis leproso 30
rege non possumus deum videre in sua maiestate. Illi enim rex leprosus
regnat, qui declinanti a via regia et a fide catholica totis viribus non
obviat. Ne timeas igitur, pie pater, falsos episcopos, quorum personam 33
sustinet AMASIAS, qui ad IEROBOAM regem accusavit AMOS prophe-
tam dicens: »rebellavit AMOS contra te«, quia, etsi IEROBOAM rex
constituat sacerdotes in excelsis, non tamen de filiis LEVI. Igitur quia 36*

14-15 mammonae] Cf. Matth. 6, 24. 16 alienis] Cf. Act. 1, 20. 18-20 ope-
ratur] Iac. 1, 2 s. (Vulg.: fratres mei; fidei vestrae). 23 praeco iustitiae] Cf. 2
Petr. 2, 5. patiaris] Cf. Matth. 5, 10; 1 Petr. 3, 14. 24-25 dei] Cf. Eph.
6, 17. 25 accingaris] Cf. Ps. 44, 4. 26 altissimus] Cf. Is. 5, 1 ss. (cf.
Tractum post Prophetiam VIII. in Sabbato Sancto, ubi occurrit nomen Sorech).
28-29 decrevit] Cf. 3 Reg. 21, 1 ss. 29-30 excelso] Cf. Is. 6, 1. 30-31
rege] Cf. 2 Par. 26, 21. 34-35 contra te] Am. 7, 10 (Vulg.: contra te AMOS).
35-36 LEVI] Cf. 2 Par. 11, 14 s.

14 Nemo *Mⁱ Ww* 17 amore Christi *HW* desudare] insudare *HW* 18 men-
ta *w* quod] quid *R* Omne *Mⁱ Ww* 19 carissimi *om. W* incideritis] inci-
dantis *W* probatio] pro bono *R* 22 Balduinum *HW* 25 dei] dum *W*
26 adleta *Mⁱ* dei eras. *H* Soreth *Mⁱ HWw* 28 relinquit *O* reliquit
Mⁱ 29 Hinc] hoc *Mⁱ W* Hoc *w* Ysaia *Mⁱ HWw* 30 quia] quod
R 31 deum] dominum *Mⁱ R* videre dominum *R* 34 et 35 iheroboam *H*
35 Rebella vit *w* 35 et 36 quia] quod *R*

»*bonum certamen*« *certasti, vide ne circa finem deficias, ne dicatur: »iste homo coepit aedificare, sed non potuit consummare«.* *Lege feliciter.*

285.

Ad CONUM.

Ab eo rogatus scribit de tribus modis superbiae, de quibus ei olim locutus erat.

ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis: dilecto amico suo, domno CONO, salutem.

3 **E**xigit caritas vestra, ut de tribus illis modis superbiae de quibus vobis locutus sum, duos qui a memoria vobis exciderunt, per epistolam nostram commemorem.

6 Tres quidem illos esse dixi: unum in aestimatione, id est quando aliquis altius existimat de se quam debeat; contra quem dicitur: »Noli altum sapere, sed time«. Et quem negat in se fuisse qui dicit: »Domine, non est
9 exaltatum cor meum« et quae sequuntur. Alius est in voluntate, quando aliquis altius se vult tractari aliquo modo quam debeat; contra quem dicitur: »Quomodo potestis credere, qui gloriam quaeritis ab invicem?« Et:
12 »Diem hominis non desideravi, tu scis«. Alius est in opere; contra quem dominus dicit: »Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco«. Iste est, quando homo se ipsum tractat altius quam debeat. Contra
15 singulos istos modos plura inveniuntur dicta in sacra scriptura, si inquirantur.

37 certasti] Cf. 2 Tim. 4, 7. deficias] Cf. Eccli. 14, 20. 37-38 consummare] Luc. 14, 30 (Vulg.: hic homo; et non). **Ad Ep. 285:** 6 Tres quidem] Ad sequentia cf. Opus *De similitudinibus*, c. XXI ss.: De generibus exaltationis etc. (PL 159, 612 s.). 7-8 time] Rom. 11, 20. 8-9 cor meum] Ps. 130, 1. 11 ab invicem] Ioh. 5, 44 (Vulg.: vos potestis; ab invicem accipitis). 12 scis] Ier. 17, 16. 13-14 loco] Luc. 14, 8.

37 ne] nec *M*¹ Iste *M*¹ *Ww* 38 lege *W* feliciter *om. W* **Ep. 285**
(**prius III, 75**) coll. cum *LPEVFM* 1 eccles. Cant.] e. c. *M* dilecto *om. M*
2 CONO] conno (o² in rasura) *V* Cononi *M* .c. *F* 3 vobis] vobiscum *M* 5
commemorem] hic et saepius *M* habet paragraphos 7 existimat] estimat *FM* 9
cor] c. *M* 11 potestis] vos *add. M* 13-14 non d. in pri. l. *abbr. M* 14
ipsum *om. M*

Contra omnes dicitur: » Qui se exaltat, humiliabitur «. Et: » Superbis deus resistit «. Et multa alia.

De his tribus, quando singula quaeque sola est, illa est levior, quae 18 in solo opere est, quia non fit nisi per ignorantiam; et tamen vitium est, quia corrigendum est. De aliis duabus illa, quae est in sola voluntate, damna- bilior est, quia scienter peccat. Illa vero quae est in aestimatione, sola insa- 21 nabiliior est, quia non se ostendit et iusta sibi videtur. Si ergo istae tres superbiae singulae considerentur, tres simplices possunt dici superbiae. Si vero binae et binae intelligantur, tres duplices inveniuntur. Si vero tres simul coniun- 24 gantur, erit una triplex. Et sic erunt septem: tres simplices, tres duplices, una triplex.

Contra istas superbias sunt membra humilitatis, id est, ut humiliter quis 27 sentiat de se, et quantum ad tractatum et conversationem aliorum, humili- ter velit de se, et ipse humiliter tractet se. Pro singulis modis superbiae dicitur homo superbus; sed pro singulis membris humilitatis, vel pro duobus, 30 nisi omnia membra simul sint, non dicitur homo humilis; sicut uno membro languente dicitur homo aeger, sanus autem non dicitur, nisi sanis omnibus membris. 33

Haec breviter commemoravi caritati vestrae. Quae si prudentia vestra saepius retractaverit, plenius ea intelliget, quam hic dicta sint. Valete et orate pro me, ut, sicut deus dedit mihi superbiam et humilitatem intelligere, 36 sic mihi det illam cavere et istam acquirere. Salutate dominum et amicum nostrum, reverendum episcopum Atrebatensem, ex parte nostra.

16 humiliabitur] Ibidem, 11. 16-17 resistit] lac. 4, 6 (Vulg.: deus superbis). 38 ep. Atreb.] LAMBERTUM, a. 1093-1115.

16 humil.] h. M 17 resistit] r. M 19 vitium est] est om. LPE 25 Et] et LPEMF tres¹] Tres mss. 25-26 tres¹ - triplex om. M 29 modis] membris M 30 sed om. M 34 Haec - vestrae om. M 35 sint] sunt M 35-38 Valete - nostra om. M 35 Valete] hic deficit F

286.

Ad ERNULFUM priorem et monachos Cantuarienses.

Scribit sibi usque Carnotum profecto consultum esse iter Romanum propter nimium calorem ad tempus opportunum differre; inde se in Normanniam revertisse. - Exhortatio ad vitam monachicam.

ANSELMUS, gratia dei archiepiscopus Cantuariæ: dilectissimis filiis et fratribus, domno ERNULFO priori et aliis in ecclesia Christi Cantuariæ
3 deo servientibus, salutem et benedictionem dei et suam, quantum potest.

Qualiter me habeam et quid agam dilectioni vestrae significo. Gratia dei, postquam iter nostrum incepti, vestris orationibus me prosequentibus ab
6 omni adversitate sum usque in praesentem diem protectus. Romam tendens ea intentione qua de Anglia exivi, Carnotum usque perveni. Ubi a comitissa, sorore domini nostri regis, et ab episcopo et a multis aliis cum gaudio et honore
9 susceptus sum, sed de itinere meo tali tempore incepto valde mirati sunt. Dicebant enim propter nimietatem caloris, et quia isto tempore nullus peregrinus vadit, me nec Romam perventurum nec amplius rediturum, quia aut
12 manus inimicorum ecclesiae dei non possem effugere, aut propter imbecillitatem corporis mei tali tempore necesse esset me mortem incurrere. Sic itaque consilii sui vi me ultra progredi ad praesens non permiserunt, sed ut
15 opportunum tempus et quando peregrini vadunt exspectarem, coegerunt. Sciens enim scripturam divinam dicere: »omnia fac cum consilio et post factum non paenitebis«, timui ne, si tam rationabili et amico consilio non acquie-
18 scerem, paenitentia sequeretur. Hac ergo ratione, quamvis praedicta comitissa me in terra sua retinere et omnia necessaria libentissime vellet impendere, reversus sum in Normanniam et exspecto, ut congruo tempore hoc
21 quod incepti, si deus annuerit, perficiam.

Ad Ep. 286: Scripta inter d. 17. Mai (fest. Pentecostes), quo ANS. Carnoti moratus est, et d. 15. Augusti a. 1103, quo Beccum reliquit (cf. *Hist. Nov.* 151; 443). 7 a comitissa] Carnotensi-Bleisensi (= Blois) ADALA. 8 ab episcopo] IVONE, a. 1090-1116. 16-17 paenitebis] Eccli. 32, 24 (Vulg.: sine consilio nihil facias); cf. *Regula* s. BENEDICTI, c. 3 (ed. BUTLER lin. 29 s.).

Ep. 286 (prius III, 76) coll. cum LPEVFM 1 gratia dei om. FM 1-2 Cantuariæ - fratribus om. FM 2 ERN.] .E. F 3-21 quantum potest - perficiam om. FM 12 possem] possum V 14 vi consilii sui PV

Scitis, filii carissimi, desiderium meum de vobis; audistis a me saepe quid tribulationes meas consoletur in vobis. Si corda vestra soli deo student vacare, si proposito quod fortiter arripuistis, velut boni in Christi vinea operarii strenue insudatis, si mundum vobis crucifixum et vos mundo vita vestra testatur, si non vobis sed deo, id est non vestrae sed dei voluntati vivitis, si etiam in minimis deum valde timetis, si distractionem ordinis vestri amatis, 27 quam qui odit certissimo signo se vitiosum esse et dissolutionem diligere demonstrat, si pacem inter vos et oboedientiam domno priori servatis: hoc est desiderium meum de vobis, haec consolatio et requies mea in vobis. 30 Haec cogitate, haec retractate et facite, si me laetificare, immo si deum vobis vultis placare. Haec vobis spiritus sanctus persuadeat, et pro his gloriae suae visionem beatam exhibeat. Amen. 33

287.

Ad GUNDULFUM episcopum Rofensem.

Ei idem de suo itinere refert. - Orat, ut solvat pro se debita in Anglia; quod reliquum sit ex redditibus suis, sibi mittat; et de diversis negotiis pecuniariis.

ANSELMUS archiepiscopus: reverendo episcopo GUNDULFO salutem.

Notum sit dilectioni vestrae quod gratia dei, vestris suffragantibus 3 orationibus, sanus sum et usque ad Carnotum Romam tendens sine perturbatione ivi. Quo cum pervenissem et a domina comitissa et episcopo honorifice susceptus fuisset, mirati sunt quod tali in tempore tam periculosum iter 6 peragendum arripuissem. Affirmaverunt siquidem quod nec Romam videre, si coeptum iter tenerem, nec ulterius prae nimia loci infirmitate et caloris angustia redire valerem. Tale quoque esse hoc in tempore me iter agere, 9 ac si mihi scienter mortem vellem asciscere. Consilio itaque eorum et omnium

24-25 operarii] Cf. Matth. 20,1 ss. 25 mundo] Cf. Gal. 6, 14. 30 consolatio] Cf. Iob 6, 10. requies mea] Cf. Is. 28, 12. **Ad Ep. 287:** Data Becci; ut videtur, simul cum Ep. praecedente.

33 beatam om. M Amen om. M
LPE

Ep. 287 (prius IV, 29) coll. cum

amicorum meorum in tempus congruum iter agendum distuli et in Norman-
12 nia expectaturus Beccum redii.

Debita igitur mea, quae in Anglia debeo, precor et multum precor,
ut solvatis, et reliquum quod habere potestis de meis redditibus, per ANS-
15 FRIDUM, praesentem nuntium, quam citius potestis mihi mittatis. Solutionem
ROMESCOTI usque ad festum sancti MICHAELIS differre potestis. Elee-
mosyna vero, ne aliquam penuriam patiatur, prudentia vestra invigilet. GODE-
18 FRIDO de Mellinges dicite, ut WILLELMO, filio suo, det XX solidos
denariorum. WILLELMO, filio NIONIS, XX marcas argenti, et ALBRICO
II ad festivitatem sancti MICHAELIS dabit.

21 Orate pro me, ut deus me et actus meos dirigat et in beneplacito suo
ad salutem meam et omnium mihi commissorum disponat. Salutate filios et
fratres nostros nostrae et vestrae congregationis.

288.

Ad MATHILDEM reginam Anglorum.

*Gratias agit de eius largitione. — Eam exhortatur, ut paci et quieti ecclesia-
rum Angliae studeat.*

Reverendae dominae suae MATHILDI, gloriosae reginae Angliae:
ANSELMUS archiepiscopus fideles orationes cum fideli servitio et benedic-
3 tionem dei et suam, quantum potest.

Gratias ago magnas susceptae vestrae largitioni, sed multo maiores
sanctae quam erga me sum expertus dilectioni. Quas quoniam corporis offi-
6 cio nequeo peragere, cordis affectu cupio indesinenter persolvere. Siquidem
quantacumque sit vestra corporalis absentia, removeri tamen nequit a mente
mea fidelis dilectionis vestrae praesentia. Quapropter desideranter oro et
9 orando desidero, ut deus quod ego per me non valeo, ipse vobis pro me

Ad Ep. 288: Scripta, ut videtur, eodem fere tempore quo Ep. superiores et sequentes.
21-22 disponat] Formula Liturgica.

Ep. 288 (prius IV, 30) coll. cum LPEFM 1 Matildi LPE Angliae]
Anglorum M 2 ANS.] .A. FM 2-8 fideles - Quapropter om. M et
benedictionem - Quapropter om. F

retribuatur, et quantum scit expedire, suam erga vos dilectionem et vestram erga se perficiat.

Quanto affectu possum et quantum de celsitudine vestra audeo praesumere: precor, obsecro, supplico et fideliter consulo, ut ecclesiarum Angliae paci et quieti pietas vestra studeat, et maxime filiis earum imbecillioribus minusque potentibus, in tribulationibus suis et desolationibus, quasi orphanis Christi subveniat, et ad similitudinem evangelicae gallinae illos sub alis protectionis suae consoletur et foveat.

Unctio sancti spiritus vos in omnibus doceat, et quae sibi magis placent et vobis expediunt persuadeat, et post temporale regnum ad aeternum perducatur.

289.

Ad ERNULFUM priorem et monachos Cantuarienses.

Eos de suo bene esse certiores facit, et ut ad meliora proficiant accendit. - Nepotem suum ANSELMUM commendat. - Domno ROBERTO praecipit, ut totum vinum quod ipse Cantuariæ dimisit, monachis tribuat.

ANSELMUS archiepiscopus: dominis, fratribus carissimis, domno priori ERNULFO et aliis servis dei in Christi ecclesia Cantuariæ commanentibus, salutem et benedictionem dei et suam, quantum potest.

Gratia dei vestris et aliorum amicorum nostrorum orationibus favente, ex quo a conspectu vestro discessi, omnia erga me et socios nostros prospere fuerunt usque in praesentem diem. Precor autem ut, sicut de vobis confido, pro nobis orare non cessetis, quatenus sic nos et actus nostros divina clementia protegat et disponat, ut de omnimoda prosperitate nostra nobis ad vos redeuntibus caritas vestra congaudere valeat. Quantum quidem ad nos pertinet, sicut dixi, omnia nobis prospere sunt; sed si vos in pace et, sicut spero,

15-16 orphanis Christi] Cf. Ioh. 14, 18. 16 gallinae] Cf. Matth. 23, 37. 18 doceat] Cf. 1 Ioh. 2, 27. Ad Ep. 289: Scripta, ut videtur, intra Pentecosten et d. 15. Augusti a. 1103.

18-20 Unctio - perducatur om. M et quae - perducatur om. F Ep. 289 (prius III, 77) coll. cum LPEVFM 1 dominis, fratr. car. om. FM 2 ERN.] .E. FM .E. priori M 2-3 et aliis i. e. x. c: deo s. s. et b. M 3-9 et benedictionem - valeat om. F dei - valeat om. M 7 orate P 9 quidem om. FM ad nos] ad me FM 10 sicut dixi om. FM nobis] mihi FM

in studio bene vivendi et salvandi animas vestras vivitis secundum deside-
12 rium meum: tunc multo magis et verius augetur gaudium meum.

Precor itaque quanto affectu possum, ut semper ad meliora solliciti
sitis proficere, et nullatenus ab iis, ad quae vos dei gratia provexit, deficere.
15 Ad invicem secundum deum dilectionis et concordiae dulcedinem servate,
ordinis vestri distractionem sine simulatione amate, corda vestra ad societa-
tem angelorum, propter quam bene vivitis, sine intermissione levate, in omni
18 difficultate et adversitate temporali, si contigerit, ne bonum studium vestrum
aliquatenus perturbetur, consolationem dei orando sperate. Ubicumque estis,
sive in conspectu hominum sive tantum in conspectu dei, a quo numquam
21 abestis: in omnibus actionibus vestris, magnis vel parvis, etiam in cogitatio-
nibus, cum psalmista animas vestras in manibus vestris semper portate. Omni-
potens deus sic vos protegat in omnibus et dirigat, ut ad aeternam beati-
24 tudinem per temporalem prosperitatem perducatur. Amen.

Nepotem meum ANSELMUM caritati vestrae sicut carnem meam com-
mendo, ut et discere valeat et vitam suam custodiat. Domno ROBERTO,
27 qui custodit domum nostram, praecipio ut totum vinum nostrum quod Can-
tuariæ dimisi, vobis tribuat et secundum voluntatem domni prioris in vestrum
usum expendat.

290.

Ad ANSELMUM nepotem suum.

Ut in studiis et in moribus bonis proficiat hortatur.

ANSELMUS archiepiscopus: ANSELMO, carne nepoti, dilectione
filio suo carissimo, salutem et benedictionem dei et suam.

3 Quoniam singulariter te inter omnes consanguineos meos diligo, ut
proficias coram deo et coram hominibus desidero. Quapropter moneo te et
praecipio tibi sicut filio dilectissimo, quatenus ad hoc, pro quo te in An-

22 portate] Cf. Ps. 118, 109.
cedente.

Ad Ep. 290: Missa videtur simul cum Ep. prae-

14 ab his V 19 perturbetur] conturbetur FM 21 vel] sive M vel etiam
parvis F in cogit.] in om. FM 22-29 Omnipotens - expendat] Valet F
om. M 26 rodberto V Ep. 290 (prius IV, 31) coll. cum LPE

glia dimisi, sollicite proficere studeas et nullum tempus in otiositate transeas. ⁶
 In declinatione et virtute grammaticae cognoscenda maxime intende; in
 dictamine, et plus in prosa quam in versibus, te exerce. Super omnia mores
 et actus tuos coram hominibus et cor tuum coram deo custodi, quatenus, ⁹
 cum deo annuente te videro, de tuo profectu gaudeam, et tu de mea
 laetitia gaudeas. Vale, deo corpus et animam tuam commendo.

291.

Ad ERNULFUM priorem et monachos Cantuarienses.

*Scribit nuntium relaturum esse quomodo et ubi sit. — Se antequam a rege
 responsum ad litteras accepisset, redire non posse. — Exhortatio ad omnes et separ-
 atim ad pueros et adolescentes. — Gratias agit pro caritate quam nepoti suo
 impendant.*

ANSELMUS archiepiscopus: dominis et fratribus et filiis carissimis,
 domno priori ERNULFO et aliis sub illo monachis deo servientibus salu-
 tem et benedictionem dei et suam, quantum potest. 3

De salute et prosperitate nostra et ubi sim, per praesentem nuntium
 cognoscetis. Ad praesens autem in Angliam redire nequeo, donec sciam
 quid rex respondeat litteris, quas illi mitto per episcopum Rofensem. Quid ⁶
 autem in illis contineatur: postquam regi erunt ostensae, per eundem episco-
 pum scietis.

Quidquid autem rex respondeat vel quidquid de me sit: mementote ⁹
 quia »sive vivimus, sive morimur, domini sumus«. Sic igitur vivite, ut illi
 vivatis, et cum moriemini, ad illum transeatis. Non vos perturbent tribula-
 tiones huius vitae, quia »per multas tribulationes oportet nos intrare in re- ¹²
 gnum dei«. Iactate cogitatum vestrum in domino »et ipse« vos »enutriet,

Ad Ep. 291: Scripta intra idem spatium temporis. 10 sumus] Rom. 14, 8. 12-
 13 dei] Act. 14, 21.

8 exercere P **Ep. 291 (prius III, 82) coll. cum LPEVFM** 1 domi-
 nis - carissimis om. FM dominis et] et om. P 2 ERN.] .E. FM 2-3
 sub illo - potest om. M 3 et suam quantum potest om. F 4 et ubi sim om.
 FM 5-9 Ad praesens - respondeat vel om. FM 9 autem rex respondeat vel
 om. E quidquid] autem add. FM 10 sive m. d. s. M 12-13 per
 multas t. o. n. i. in r. dei M 13-14 vestrum in d. et i. vos e. non d. i. f. i.
 (aeternum om.) M

non dabit in aeternum fluctuationem« iustis. Orate deum bene vivendo,
 15 non mentes vestras turbando, ut in sua semper consolatione faciat vos laetari.

Pueros et adolescentes ut filios dulcissimos hortor et moneo, quanto
 possum affectu, ut monitionis et doctrinae, qua eos de cordis et cogitatio-
 18 num custodia solebam instruere, non obliviscantur, sed consilium nostrum
 saepe retractando, sicut eam studiose magnificare et commendare illis so-
 lebam, per gratiam dei custodire nitantur. »Pax dei, quae exsuperat omnem
 21 sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras«.

Gratias vobis ago pro caritate quam impenditis nepoti nostro; et illi
 praecipio, ut vobiscum maneat et doctrinis et litteris studeat, donec ego sibi
 24 mandem ut veniat.

292.

Ad eosdem.

*Scribit gaudium de prioribus litteris per litteras sequentes obnubilatum esse;
 se de regis petitione !mirari. - Eos confortat ad constantiam adversus regem; si-
 gnificat se regi per episcopum Rofensem mandaturum esse, ut episcopatum in quiete
 sinat. De suo reditu ante iter Romanum regem nihil scripsisse. - Gratias agit pro
 caritate in nepotem suum, quam iste litteris suis laudaverit.*

ANSELMUS archiepiscopus: dominis, fratribus et filiis carissimis,
 domno priori ERNULFO et aliis sub illo in Christi ecclesia Cantuariensi
 3 deo servientibus, divinae gratiae et benedictionis consilio semper regi et
 consolari.

Priores litteras a vestra fraternitate directas laetus suscepi, quia per
 6 omnia vos et vestra dei protectione in prosperitate manere per litteras
 episcopi Rofensis et per earum latorem accepi. Quam laetitiam, etsi non
 multum litterae sequentes conturbaverunt, aliquatenus tamen obnubilaverunt.

13-14 iustis] Cf. Ps. 54, 23. 20-21 vestras] Phil. 4, 7. Ad Ep. 292:
 Scripta iisdem temporibus; post Ep. praecedentem (responsum regis advenit).

15 semper] vos insert. V faciat vos] vos om. LPE(V) 20 nitantur] hic
 finit M 21 vestras] hic finit F 23 sibi om. P Ep. 292 (prius IV, 32)
 coll. cum LPEFM 1 dominis - carissimis om. FM 2 ERN.] .E. FM 2-4
 et aliis - consolari] et aliis i. e. c. X. deo s. s. et b. M 5-8 Priores - obnubila-
 verunt om. FM

De regis namque petitione quam mandastis, non parum miratus sum; sed 9
quia nihil sine nostro consilio, sicut vos decet, facere voluistis et praecepti
nostri memores fuistis, gavisus sum. Potens est enim deus regiam volunta-
tem ab omni indignatione, quam hac occasione adversum vos nasci timetis, 12
avertere, cum vos recte et ordinate facere conspiciet; aut si hoc illi facere
non placuerit et aliquid inde vobis contra voluntatem vestram – quod deus
avertat! – contigerit: certi esse debetis quia melius est pati aliquid 15
»propter iustitiam« sub dei consolatione, quam aliquid facere inordinate in
eius offensione. De hoc igitur dei dispositionem, cui me et vos et omnia
nostra commendo, expectabo; et sicut consuluistis, regi per reverendum et 18
amicum nostrum episcopum Rofensem, ut totum episcopatum nostrum in
pace et quiete permanere permittat, sicut mihi promisit, mandabo. Quod si
deus et votum meum et vestrum sua gratia disposuerit, dei pietatem lau- 21
date; et si aliter evenerit: quidquid illud sit, per qualemcumque nuntium,
ubicumque sim, mandate.

Contra haec et contra omnia adversa vos armis »iustitiae a dextris et 24
a sinistris« armate, deum timete, semper eum praesentem publice et secrete
et vos illi praesentes cogitate. Ordinem vestrum amando cogitationes et actus
vestros in omni innocentia custodite, et sic deus vobis omnia cooperabitur 27
in bonum, et erit vobiscum, sive in pace sive in tribulatione, omnibus
diebus vitae vestrae.

De reditu meo in Angliam, antequam quod incepti perficiam, de quo 30
mihi mandastis, dominus noster rex nihil mihi mandavit, sed tantum prospe-
ritatem et hilaritatem suam, sicut fideli suo et congaudenti, per litteras inti-
mavit. Omnipotens deus et in prosperis et in adversis super vos et in vos 33
suam effundat benedictionem, et numquam patiatur a vobis deesse suam
consolationem.

Gratias ago domno priori et omnibus vobis pro dilectione et beneficiis, 36
quae nepoti meo propter amorem meum impenditis. Quamvis enim hoc non
dubitem, ipse tamen suis litteris hoc mihi magno affectu intimavit.

9 De regis n. petitione] A monachis pecuniam petivit, ut ex Ep. sequente patebit.
16 propter iustitiam] Cf. Matth. 5, 10. 18-20 mandabo] Cf. Ep. sequentem. 24-
25 a sinistris] Cf. 2 Cor. 6, 7. 27-28 in bonum] Cf. Rom. 8, 28.

9 namque om. FM quam] mihi add. M 12 hac om. E 13 conspiciet] aut
si hoc illi facere conspiciet add. E 18-20 et sicut - mandabo om. FM 25 a
sinistris] a s. M 30-38 De reditu - intimavit] Omnipotens deus in omnibus vos
protegat et dirigat. Amen F om. M

293.

Ad GUNDULFUM episcopum Rofensem.

Eum precatur, ut regi persuadeat, ut desinat a monachis pecuniam petere; cum ipsi in necessitate sint et regem id non deceat. Se nullo modo ad hoc assensum suum praebere affirmat.

ANSELMUS archiepiscopus: reverendo episcopo GUNDULFO salutem.

3 Audiui quia dominus noster rex a priore et monachis nostrae ecclesiae petit pecuniam, quam ipsi non habent nec habere possunt, quoniam, sicut mihi mandatum est, creditoribus non modicam debent pecuniam, et
6 propter indigentiam in iis quae sibi necessaria sunt, magnam patiuntur angustiam. Ad opus etiam ecclesiae inceptum dimidium quod constitueram habere nequeunt; et si haberent, nec regem decet ab illis aliquid exigere,
9 qui nihil nec se ipsos habent, sicut monachi, nec ad illos pertinet aliquid dare vel accomodare quod eorum non est. Unde vobis mando et precor, ut regi precando suadeatis, quatenus omnia nostra in pace, donec redeam,
12 quieta manere iubeat, sicut promisit; quia si deus, secundum quod proposui mihi prospere redire concesserit, serviam ei, sicut debeo domino et regi meo.

15 Quod si fecerit, gratias agam deo et illi. Si vero preces vestras non audierit et aliquid unde doleam facere voluerit: faciet, sicut dominus, quod illi placebit, sed non mihi videbitur facere quod debebit. Non enim ego et
18 monachi divisi sumus, sed omnia quae illorum stabilita sunt utilitati, mea sunt et meae subiacent potestati. Et si ipsi indigerent: quidquid haberem, eorum deberem expendere necessitati. Quare cum omnis mundana adversitas pro
21 suo modo et ratione tangat animum meum: illa utique quae illos contristat,

Ad Ep. 293: Scripta paulo ante d. 15. Augusti a. 1103; missa, ut videtur, simul cum Ep. praecedente. 9-10 non est] Cf. *Reg. s. BENEDICTI*, c. 33: Si quid debeant monachi proprium habere.

Ep. 293 (prius III, 78) coll. cum *LPEVFM* 1 GUND.] .G. *FM* 4-10
quoniam - non est om. *FM* 6 in his *V* 13 concesserit] permiserit *M* 17
illi] sibi *M*

profundius laedit cor meum. Et vos scitis quia tam inauditae et insuetae rei assensum praebere non debeo – et quia non debeo, non audeo –, ut a monachis absque praelato suo pecunia exigatur; et ideo non mihi nec alicui²⁴ expedit, ut haec consuetudo in ecclesiam dei aliquo assensu introducatur.

294.

Ad HENRICUM regem Anglorum.

Ei gratulatur de eius prosperitate et successibus, de quibus se certiores fecit, eumque hortatur, ut in omnibus voluntatem dei servet. – Se ante Assumptionem s. MARIAE de Becco profecturum esse nuntiat. – Regem orat, ut res suas in quiete sinat, donec redeat.

HENRICO, domino reverendo, glorioso regi Anglorum: ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariæ, fidele servitium cum orationibus.

Gratias ago deo, a quo est omne bonum, de vestra incolumitate et³ hilaritate, et quia vestros successus ad maiora et meliora cum vestra et vestrorum fidelium laetitia provehit. Gratias etiam ago vestrae celsitudini quia haec mihi mandare dignata est, sicut fidei suo, de quo confidit quia in omnibus suis prosperitatibus congaudet, et illi cuius dispositione fiunt, gratias agit. Verum enim est quia hoc cotidie orat et desiderat cor meum, ut deus vos et vestra sic regat et protegat in gloria temporalis regni super Anglos, quatenus vos in aeterna felicitate regnare faciat inter angelos. Hoc utique est, ad quod maxime vobis servire cupio. Quapropter, quia ad me pertinet – ad hoc enim positus sum –, ut fidelis, ut episcopus consulo, precor et, sicut¹² scriptum est, obsecro » opportune, importune «, ut, sicut deus vestram auget prosperitatem et exaltat potestatem, ita vos super omnia eius ametis in omni-

Ad Ep. 294: Scripta et missa eodem fere tempore; ut videtur, simul cum Ep. praecedente. 3 Gratias ago etc.] Agitur, ut videtur, de regis victoria de ROBERTO Belesmensi, comite de Shrewsbury. 6-7 congaudet] Cf. Ep. 292, lin. 30-32. 13 importune] 2 Tim. 4, 2.

23 audeo] o expunct. M Ep. 294 (prius III, 79) coll. cum LPEVFM
1 glorioso om. M regi Angl.] r. a. M ANS.] .A. FM 2 Cantuariæ -
cum orationibus om. M 4 successus] succensus P 10 vos] vos om. V (haec
pars propositionis in marg. inserta est)

15 bus operibus vestris servare voluntatem. Quod sic vos deus diu in hac vita
in prosperitate facere concedat, ut post hanc vitam secum in aeternitate
gaudere faciat.

18 Erga me dei gratia cuncta prospere sunt, et ante Assumptionem sanc-
tae MARIAE de Becco proficiscar, ut secundum quod deus annuet, prose-
quar propter quod de Anglia egressus sum. De nostris rebus, quamvis hoc
21 esse in vestra bona voluntate confidam, rogo tamen, ut eas in quiete mane-
re iubeatis, donec redeam.

295.

Ad ERNULFUM priorem et monachos Cantuarienses.

Rescribit se laudare, si clericos dignos in ordinem suscipiant.

ANSELMUS archiepiscopus: domno priori ERNULFO et aliis fratri-
bus ecclesiae Christi Cantuariensis salutem et benedictionem dei et suam,
3 quantum potest.

De hoc unde mihi mandastis, respondeo. Si qui clerici, qui ecclesiae
et sibi utiles esse possunt, se ad ordinem suscipi petunt, et vos ita perpen-
6 ditis esse: laudo ut eos suscipiatis. Nec in hac re volo dubitetis de volun-
tate mea, quia scitis mihi displicere tales ad vos non ita venire, sicut vel-
lem. Valete.

Ad Ep. 295: Scripta Becci (cf. Ep. 307), eodem fere tempore quo Ep. superiores.

15 servare] servate *P* diu *om. FM* 18-22 Erga me - redeam *om. M* 18-
20 et ante - egressus sum *om. F* **Ep. 295 (prius III, 80) coll. cum LPEV**

296.

Ad MATHILDEM reginam Anglorum.

Scribit de suo esse prospero et se usque nunc Becci moratum esse et in proximo, ante Assumptionem s. MARIAE, illinc profecturum esse. – Gaudet de regis et reginae exaltatione. – Hortatur eam, ut plus gloriam caelestem quam terrenam et consilium dei plus quam hominum quaerat.

Suae carissimae dominae MATHILDI, reginae Anglorum: ANSELMUS archiepiscopus fidele servitium et supernae gratiae continuam protectionem.

Non ignoro quod dignationis vestrae benignitati placet nosse, quid mihi 3 sit et quomodo me habeam. Gaudens igitur et gratias agens de tam bona vestra voluntate notifico vobis quoniam, ex quo Angliam exivi, dei misericordia me et quae ad me pertinent in integra disposuit prosperitate. Usque 6 nunc moratus sum Becci, exspectans opportunum tempus iter agendi; sed in proximo, ante assumptionem sanctae MARIAE, inde proficiscar, intentione quod incepti deo annuente peragendi. Didici nuper quia deo regni domini 9 mei regis et vestri dignitatem placet exaltare, et ea quae ad placitum eius et vestrum ac fidelium vestrorum non erant, secundum vestram voluntatem ad honorem et utilitatem vestram reparare. Unde sicut fidelis et sicut bona 12 vestra in praesenti et futura vita desiderans, gaudeo et superno regi, a quo vobis haec perveniunt, ago gratias, ut debeo, et ut semper bona quae dedit intemerata custodiens, vos ad maiora et meliora sub sua gratia provehat, 15 oro et desidero.

Quoniam igitur officii mei est vos exhortari ad caelestis regni desiderium: hortor, precor, consulo, quanto affectu possum, ne plus vos delectet 18 in terreni regni transitoria gloria exultare, quam ad caelestis regni felicitatem aeternam anhelare. Quod utique veraciter et efficaciter facere poteritis, si ea quae vestrae potestati subdita sunt, plus secundum dei consilium quam secun- 21

Ad Ep. 296: Scripta Becci, paulo ante d. 15. Augusti a. 1103. 9 Didici etc.] Agitur, praeter victoriam, de qua in Ep. 294, de prole, scilicet de filio primogenito WILLELMO, nato d. 5. Augusti a. 1103 (+ 1120); cf. Ep. 305.

Ep. 296 (prius III, 81) coll. cum LPEV 8 proficiscat] sic prima manus in P
11 vestrum] vestram P 19 caelestis P

dum consilium hominum disposueritis. »Sapientia enim huius mundi stultitia est apud deum«, ut ait vera scriptura; et: »sapientia carnis inimica est
 24 deo, quoniam legi dei non est subiecta«. Haec consulite, haec secrete et publice intimate domino nostro regi et saepe repete, et quantum ad vos pertinet, studiose retractate. Transit enim, ut soletis dicere, gloria mundi.
 27 Et utinam deus vos ambos post transitoriam gloriam transire faciat ad aeternam! Amen.

297.

Ad EUSTACHIUM patrem GAUSFRIDI monachi Beccensis.

Rogatus a GAUSFRIDO monet patrem eius, qui uxori suae licentiam, ut sanctimonialis fieret, dedit castitatemque vovit, et postea aliam mulierem accepit.

ANSELMUS archiepiscopus, servus ecclesiae Cantuariensis: EUSTACHIO, patri GAUSFRIDI, monachi Beccensis, salutem.

3 Domnus GAUSFRIDUS, filius vester, sollicitus de salute animae vestrae et timens damnationem vestram, rogat me ut ostendam vobis, in quanto periculo maneatis. Dicit enim quia uxori vestrae, matri eius, licentiam, ut saeculum relinquens sanctimonialis fieret, dedistis et castitatem deo corporis vestri
 6 vovistis, sed postea aliam mulierem accepistis, unde filium genuistis.

Quod si ita est, scitote absque ulla dubitatione quia, si in hoc peccato
 9 de hac vita exit anima vestra, omnino perdita erit, nec ulla spes eius salutis, sive ante diem iudicii sive post diem iudicii, erit. Videat igitur vestra prudentia quam grave malum sit perdere gloriam aeternam et societatem
 12 angelorum et pati tormentum aeternum in societate diabolorum. Videte etiam quam periculosum sit et quanta insipientia in tali re diffindere correctionem, sine qua certam potestis expectare perditionem. Quamdiu enim in hoc pec-

22-23 apud deum] 1 Cor. 3, 19. 23-24 subiecta] Rom. 8, 7 (Vulg.: quoniam legi] legi enim). Ad Ep. 297: Scripta fortasse Becci eodem fere tempore quo Ep. praecedentes.

Ep. 297 (prius III, 83) coll. cum LPEV 1-2 eustachico V 2 gausfredi
 corr. ex gausfredi V 3 de salute an. vestrae om. P 5-6 saeculum] secundum P
 10 vestra] nostra P 13 diffindere] sic conieci; diffidere mss. (in V a manu PICCARDI corr. in differre; inde in editionibus) 14 expectarem P

cato manetis, ira dei manet super vos; et sicut peccatum quanto diutius 15
manet, tanto magis crescit: ita ira dei magis ac magis in dies super vos
exardescit.

Consulo igitur et precor, sicut Christianus Christianum et sicut amicus 18
amicum, quatenus de tam gravi peccato et tam magno periculo exire non
differatis, ne forte de hac vita ad mortem et tormentum aeternum transeat
anima vestra » qua hora non putatis«. Consulo etiam ut filii vestri, domni 21
GAUSFRIDI, de hac re accipiatis consilium, si umquam a deo vultis habe-
re salutis auxilium. Nam etsi non promisissetis castitatem vestri corporis, quando
uxori vestrae licentiam dedistis ut sanctimonialis fieret: nullo modo tamen 24
sine eo peccato et periculo quod supra dixi, violare eandem castitatem in
vobis possetis, quamdiu uxor eadem viveret.

298.

Ad MATHILDEM abbatissam Cadomensem.

*Abbatissae, quae propter aetatem et infirmitatem onus deponere vult, consu-
lit, ut id apud eos, ad quos pertinet, efficere tentet; secus, ut curam earum rerum,
in quibus deficit, sororibus dignis aptisque iniungat.*

ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis: dominae et matri, reve-
rendae abbatissae Cadomensi MATHILDI, semper divinae gratiae regi con-
silio.

3

Petit sanctitas vestra per domnum ROBERTUM, fratrem EUSTACHII,
nostrum consilium de abbazia vestra, quam idcirco deserere, si vobis liceret,
ut alii commendaretur, velletis, quoniam eam propter infirmitatem et aetatis 6
imbecillitatem sicut oportet regere non valetis. Quod quia fieri non potest
nisi per comitem et archiepiscopum Rotomagensem et episcopum vestrum et

21 putatis] Luc. 12, 40.
quo Ep. praecedens.

Ad Ep. 298: Scripta videtur eodem fere tempore
3 EUST.] Fortasse is, de quo in Ep. praecedente.

16 ac magis om. V	22 gaufrido V	23 promisistis V	Ep. 298
(prius III, 84) coll. cum LPEVFM	1 eccles. Cant.] e. c. M		1-2 do-
minae et matri rever. om. M	2 MATH.] mathilde V	.M. FM	2-3 semper
- consilio om. M	4 per - EUST. om. M	ROB.] .R. F	fratrem
EUST. om. F			

9 consensum sanctimonialium vobis commissarum, inde vobis nullum impendere possum auxilium; sed quoniam hoc petitis, quale possum mando consilium.

Tentate si per eos ad quos pertinet, desiderium vestrum, sicut vobis
12 expedire videtur, potestis efficere; et si nequitis, sororibus quae membra vestra sunt, illis scilicet in quibus maiorem prudentiam et religionis fervorem cognoscitis, earum rerum in quibus vires vestrae deficiunt, praecipiendo, rogan-
15 do, exhortando curam iniungite. Nam si etiam contingeret, ut tales personas in quibus secundum desiderium vestrum possitis confidere, non haberetis – quod in ecclesia vestra esse non spero –: vestra tamen reverentia, si illas
18 eligeret quas ad hoc meliores et aptiores cognosceret, excusabilis apud deum, quoniam melius non posset, sicut credo, existeret.

299.

Ad GUNDULFUM episcopum Rofensem.

Gratias ei agit, quod res ecclesiae Cantuariensis bene administret. – De epistolis papae, de quo rex GUNDULFO dixerit, se nihil scire significat. – Utrum ipse aut per legatum faciat, propter quod exivit de Anglia, se nondum scire. – Consilium de GERARDO archiepiscopo crimine accusato se, eo inaudito, non posse dare. – Praeterea in epistola de diversis negotiis res est.

ANSELMUS archiepiscopus: reverendo et diligendo episcopo Rofensi GUNDULFO semper et in omnibus deo placita velle et operari.

3 Primum gratias ago deo quia, sicut mandastis, omnia nostra et vestra ubique prospere subsistunt; deinde vobis, cuius prudentia et cura reguntur. Dei gratia, postquam de Anglia exivi, erga me et ea quae ad me pertinent
6 ad votum meum disponuntur.

Ad Ep. 299: Scripta paulo ante d. 15. Augusti a. 1103; post Ep. 287 (debita, de quibus in ea epistola, soluta sunt).

12 efficere] perficere *M* 16 possetis *M* 19 existeret] Valet add. *F* **Ep.**
299 (prius III, 85) coll. cum *LPEVFM* 1-2 ANS. - operari] ANS. ar.
reverendo episcopo .G. sal. *FM* 2 gondulfo corr. ex gundulfo *V* 3-17
Primum - certus om. *FM* 5 pertinent] pernent *L* (pertinent ex pernent corr. in *E*)

De debitis quae solvistis, si et debita de Romascot in his sunt, gaudeo, et promissionem vestram de redditibus nostris cum actione gratiarum exspecto. 9

Bene fecistis quia verba quae inter regem et vos fuerunt de me et itinere meo, et de epistolis quas sibi et mihi a papa missas dixit, et de legatis ad imperatorem mihi mandastis. Sed scitote quia ego nec litteras nec 12 ullam legationem ab apostolico habui, postquam a vobis discessi, nisi quod per TIBERIUM mihi mandavit verbis et litteris, ut eum de Romascot adiuvarem. De litteris autem papae ad regem nihil scio, nisi quod vos mihi 15 mandastis. Si autem alicubi mansurus sim et per legatum meum sim facturus quod incepti, nondum sum certus.

De GERARDO, archiepiscopo Eboracensi, non debeo in tali re 18 aliquid absens de absente et inaudito definire, praesertim cum ipse crimen illatum neget. Et ideo non audeo dare consilium, ne consilium meum ab aliquo pro definitione accipiatur. Quapropter, si vobis videtur, de hoc apud 21 regem omnino ex mea parte, nisi ipse a vobis requisiverit, responsum meum tacete; et si requisiverit, quod vobis mando, si melius non potestis, respondete. 24

De lite quae est inter nostros homines et homines ROBERTI de Monteforti, precor ut faciatis per regem, ut aut pax integra aut treviae inter eos, donec redeam, ponantur. De omnibus nostris rebus intus et foris ut 27 curam, sicut hactenus fecistis, habeatis, et sicut scitis me in vobis confidere, precor. De rebus ac familia ROBERTI, nutriti vestri, qui mecum est, gratias ago, quoniam ea contra adversarios eius, sicut illi mandatum est, de- 30 fenditis, et instantissime precor, ut omnia quae ad illum pertinent quietam manere omni modo faciatis, et hoc ipsum WILLELMO de Maeithestane ex mea et vestra parte praecipiat. Dico enim vobis quia malo in meis pro- 33 priis quam in eius rebus aliquam pati iniuriam.

Deo annuente ante Assumptionem sanctae MARIAE de Becco proficisci volo et in festivitate apud Carnotum esse, et deinde, sicut deus 36

7-9 exspecto] De ea re cf. Ep. 287, lin. 13-16. 14 TIB.] Cf. de eo Ep. 213.
25 ROB. de Monteforti] Cf. Ep. 475.

18 girardo *M* .G. *F* 22 requisierit *FM* 23 si requisierit *PVFM* 23-
24 respondete] *hic finit M* 25-43 De lite - serviat *om. F* 25 inter n. ho-
mines] homines *om. V* 32 meitestane corr. ex meitestante *V*

disponet, vestris orationibus prosequentibus iter nostrum peragere. Quod nonnulli me reprehendunt de familiaritate, quam habeo ad illos quos rex
39 non diligit: scitote quia nihil facio contra honorem eius aut unde iuste reprehendi debeam.

Propter rixas quae fiunt de ecclesia de Hergas, iubeto RODULFO
42 praeposito ut eam teneat in manu mea, donec redeam, et interim inveniat qui in ea serviat.

Omnipotens dominus vos et vestra sub sua gratia custodiat et vos
45 semper in viam salutis dirigat.

300.

Ad eundem.

Per se ipsum perficiendum esse propter quod de Anglia exivit, scribit. – Gratias agit de pecunia accepta in necessitate, cum se multum expendere necesse sit; eumque rogat, ut sibi etiam in futuro de redditibus suis quam citius subveniat. – De pauperibus non neglegendis, et de quibusdam aliis negotiis.

ANSELMUS archiepiscopus: amico suo, reverendo GUNDULFO, episcopo Rofensi, salutem.

3 De salute et prosperitate nostra per latores praesentium cognoscere potestis. Propter quod exivi de Anglia, quantum possum, adiuvante deo per me ipsum, quia aliter non video me posse, conor perficere.

6 Gratias ago vestrae bonae voluntati et sollicitudini, quia mihi nuper in necessitate succurristis. Nam de trecentis et triginta marcis argenti quas tuli de Anglia, non habebam nisi viginti quattuor, quando hoc quod nuper misi-
9 stis suscepi. Multum namque plus me necesse est expendere quam putabam. De nostris rebus, quia non magis in me quam in vobis confido et vestram novi bonam voluntatem, ut eas, sicut oportet, custodiatis et tractetis, scio
12 quia prece nostra non indigetis. Gratias itaque agens de iis quae fecistis et facitis, rogo ut, sicut nuper mihi subvenistis, ita in futurum quam citius pote-

Ad Ep. 300: Scripta circa d. 15. Augusti a. 1103; post. Ep. superiorem. 4-5
perficere] Cf. Ep. praecedentem, lin. 16-17.

Ep. 300 (prius IV, 33) coll. cum LPE 9 putarem P

stis subveniatis, mittendo si quid de praeterito anno de nostris redditibus habetis, et quidquid de futuro precando, monendo et necessitatem meam ostendendo, a praepositis nostris colligere poteritis.

De pauperibus quos apud Cantuariam pascere debeo, rogo multum ne ullam patiantur inopiam. Quod mihi mandastis de terra nostra de Roginges, 18 libenter accipio, nec aliam quam me rogastis habere voluntatem habeo. Audi- vi quod HUGO, filius MABILIAE, terram, quam sine ulla donatione eum hactenus tenere permisi, vult vendere. Prohibete itaque, ne ipse aut aliquis 21 alius aliquid de terra nostra vendat aut aliquo modo impediatur, sed omnia sicut ea dimisi permaneant, donec redeam. Salutate filios vestros et filias, et ut orent pro me oro. RADULFO, filio HERENGODI, qui mecum fuit, 24 date centum solidos.

301.

Ad HENRICUM regem Anglorum.

Regi sollicito ne in itinere deficiat, respondet se sperare se id sustinere posse, et bonum aestimare per se ipsum perficere propter quod de Anglia exivit, praesertim cum papa sibi litteris per TIBERIUM missis nuntiaverit se cum ipso loqui velle.

Suo carissimo domno HENRICO, glorioso regi Anglorum: ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariæ, fidele servitium cum orationibus.

Gratias magnas ago celsitudini vestrae pro amore magno, quem erga 3 me vos habere ostenditis, et pro pia sollicitudine quam de me sicut de fideli vestro habetis, scilicet ne in itinere incepto propter imbecillitatem et infirmitatem corporis mei nimio laboris gravamine deficiam. Sed iam usque 6 in vallem Moriamne progressus eram, quando vestram suscepi epistolam. Unde timui ne domno papae displiceret, si tanta parte itineris perfecta remanerem, et nullum mihi responsum per legatos faceret, nisi ad eum, 9 sicut incepti, ipse pervenirem. Didici enim per litteras quas mihi per TIBE-

Ad Ep. 301: Scripta aliquanto tempore post d. 15. Augusti a. 1103, in itinere Romano. 7 Moriamne] Maurienne in Savonia. epistolam] Non est conservata.

19 rogatis *P* 21 Prohibite *P* **Ep. 301 (prius III, 86)** coll. cum *LPE*
3 quem] quam *P* 4 pro pia] propria *V* 10 Dididici *LPE* (in *V* Di expunct.)

RIUM misit, quia, si possibile esset, libenter mecum loqueretur. Sperans
 12 itaque in deo, secundum quod in me sentiebam et de itinere iam peracto
 expertus eram, quia laborem itineris possem sustinere, quod, quia me non
 posse timebatis, me remanere volebatis: existimavi bonum esse per me ipsum
 15 hoc pro quo Angliam exivi, sicut proposui, perficere, nisi forte aliquid
 obviaverit cui rationabiliter nequeam resistere.

Omnipotens deus sic vestrum regnum terrenum in gaudio vestro diu
 18 regat et corroboret super Anglos, ut post hanc vitam vos regnare faciat
 inter angelos. Amen.

302.

Ad GERONTONEM abbatem.

Eum precatur, ut monachum quendam, qui in eius monasterio et in monasterio S. Petri Carnotensis professionem fecit, absolvat, et ut Carnoti remaneat concedat.

ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis: reverendo abbati et amico suo GERONTONI salutem.

3 Quidam monachus, sicut ab illo didici, alligatus ecclesiae vestrae per
 quandam professionem, quam in habitu clericali vobis fecit, et similiter
 monasterio Sancti Petri, quod Carnoti situm est, ubi habitum monachi as-
 6 sumpsit per aliam professionem: dicit se nullatenus posse habere solutionem
 a vobis neque ab abbate Carnotensi, ut vel in Carnotensi monasterio vel in
 vestro animam suam salvet; quod facere nequit, nisi aut a vobis aut ab
 9 abbate Carnotensi absolutus fuerit. Consideret igitur prudentia vestra quia
 non expedit nec decet vos abbates, ut animam eius quisque sibi trahendo
 scindatis, sed in vobis esse maternam pietatem et plus vos diligere animam

10-11 misit] Cf. Ep. 299; etiam haec epistola non est conservata.

Ad Ep.

302: Scripta circa d. 15. Augusti a. 1103. 2 GER.] Forsitan abbas Sancti
 Benigni Diviensis (Dijon), a. 1077-1111. 5 Carnoti] Ibi ANSELMUS festum As-
 sumptionis MARIAE celebraverat (cf. Ep. 299). 7 ab abbate Carnotensi] WIL-
 LELMO I., a. 1101-1129.

Ep. 302 (prius III, 87) coll. cum LPEVFM 1-2 et amico suo om. FM
 2 GER.] .G. FM

proximi quam propriam voluntatem ostendatis. Ille enim se magis ostendet¹² esse matrem, qui dicet alteri: ‚habeto tu solus infantem vivum, ne ambo eum occidamus‘; ut cum venerit verus SALOMON, dicat: ‚date huic infantem vivum«, ‚haec est enim mater eius«. Nam vera mater mavult filium¹⁵ suum in alieno sinu vivere, quam in suo mortuum fovere. Notum autem sit sanctitati vestrae quia, sicut cognoscere potui, magis expedit propter plures causas eum Carnoti remanere quam ad vos remeare. Unde si aude-¹⁸ rem, religioni vestrae consulendo suggererem, quatenus vos non falsam, sed veram matrem esse probaretis. Valet.

303.

A PASCHALI papa.

Primatum ecclesiae Cantuariensis iam prius ANSELMO personaliter confirmatum, nunc ei et successoribus eius cum omnibus aliis privilegiis ex temporibus b. AUGUSTINI habitis confirmat.

PASCHALIS episcopus, servus servorum dei: venerabili fratri ANSELMO, Cantuariensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Fraternitatis tuae postulationibus nos annuere tuae sapientiae et religionis persuadet auctoritas. Quondam enim in litteris ab apostolica tibi sede directis Cantuariensis ecclesiae primatum ita tibi plenum concessimus, sicut a tuis constat praedecessoribus fuisse possessum. Nunc autem, petitionibus⁶ tuis annuentes, tam tibi quam tuis legitimis successoribus eundem primatum, et quidquid dignitatis seu potestatis eidem sanctae Cantuariensi seu Doro-

14-15 mater eius] 3 Reg. 3, 27.

Ad Ep. 303: (JAFFÉ-LOEW. 5955): Data Lateranis, d. 16. Novembris a. 1103 (cf. *Hist. Nov.* 154 s.; 445). Hanc epistolam ANSELMUS principio anni sequentis cum Ep. 307 Cantuariam misit. 4 in litteris] Cf. Ep. 222, data Lateranis d. 15. Aprilis a. 1102.

12 propriam] vestram *M* 12-13 esse ostendet *F* 16 vivere] nutrire *M* 20
Valet om. *M* **Ep. 303 (prius III, 169)** coll. cum *LEFr*; cod. *Cantabrig.* *Peterhouse* 74 (= *S*); cod. *Cott. Claud .A.* 3, s. XII. (= *A^a*); cum *WILKINS, Concilia, t. I* (1737), p. 377 (ex ms. *Cott. Faust. B. VI, f. 96*; = *wi*) in *M*
solummodo notatur: Paschal. .A. Fraternitatis tuae petitionibus (sic) nos. RQ. in *Decretis Pontificum* 1 fratri] et coepiscopo add. *S* 1-2 *ANS.] .A. F* 7
legit. success. tuis *A^a*

⁹ *bernensi ecclesiae pertinere cognoscitur, litteris praesentibus confirmamus, sicut a temporibus beati AUGUSTINI praedecessores tuos habuisse apostolicae sedis auctoritate constiterit.*

¹² *Datae Laterani, XVI. Kal. Decembris, indictione XII.*

304.

Ab eodem.

Item confirmat iura ecclesiae Cantuariensis, et quidquid dignitatis et honoris post b. AUGUSTINI tempora a sancta sede concessum est, i. e. omnes possessiones tempore LANFRANCI habitas.

PASCHALIS episcopus, servus servorum dei: venerabili fratri ANSELMO, Cantuariensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

³ *Tibi, reverentissime frater ANSELME, et per te sanctae Cantuariensi ecclesiae praesentis decreti pagina confirmamus quidquid parochiarum vel metropolitano vel episcopali iure ad eandem cognoscitur ecclesiam pertinere.*
⁶ *Quidquid praeterea dignitatis aut honoris post beati AUGUSTINI tempora eidem Dorobernensi ecclesiae sedis apostolicae concessit auctoritas, nos quoque tuae et tuorum legitimorum successorum strenuitati concedimus; nimirum omnia quiete ac libere possidenda, quae praedecessor vester LANFRANCUS, memoriae reverendae antistes, occupatorum manibus erepta restituit, restituta possedit in ecclesiis, in villis, silvis et pratis, in aquis*
¹² *aquarumque discursibus, in terra vel mari, salvis videlicet ceterorum metropolitanorum privilegiis.*

Pallii vero usum ita fraternitas tua obtineat, sicut a tuis praedecessoribus habitum constat, temporibus per anni spatium Romanae sedis institutione distinctis.

10 AUG.] Primus archiepiscopus Cantuariensis, a. 601-604.
 An eodem tempore data?

Ad Ep. 304:

12 Data *F* Dat. *wi* Lateranis *LEF* Ep. 304 (WILKINS D., *Corcilia* [1737], t. I, p. 378 [ex ms. Cott. Vespas. E. IV, fol. 209^a; = *wi*]) coll. cum cod. Mus. Brit. Cott. Vespas. E. IV, s. XII. (= *E^a*); *wi*; *w* XV; DUEBALL M., *Der Suprematstreit zwischen den Erzdiözesen Canterbury und York 1070/1126. Hist. Studien von E. EBERING, fasc. 184 (1929; = d)* 3 reverendissime *E^a*
 anselmo *E^a* 8 et tuorum] tuorumque *d* 9 ac] et *d* 12 aquarumve *d*
 14 optineat *E^a*

305.

PASCHALIS papae ad HENRICUM regem Anglorum.

Gratulatur ei de victoria de adversariis parta et de sobole virili suscepta. — Eum admonet, ut ab investituris se absteineat, et ut ANSELMUM revocet. Si haec fecerit, se ei quaelibet gravia, quae petiturus sit, concessurum et filium eius WILLELMUM protecturum esse.

PASCHALIS episcopus, servus servorum dei: illustri et glorioso regi Anglorum HENRICO salutem et apostolicam benedictionem.

In litteris quas nuper ad nos per familiarem tuum, nostrae dilectionis filium, WILLELMUM clericum, transmisisti, et personae tuae sospitatem cognovimus et successus prosperos, quos tibi superatis regni adversariis benignitas divina concessit. Audivimus praeterea optatam virilem sobolem ex ingenua et religiosa te coniuge suscepisse.

Quod profecto cum nos lactificaverit, opportunum rati sumus nunc tibi praecepta et voluntatem dei validius inculcare, cum amplioribus beneficiis deo te plurimum perspicias debitorem. Nos quoque divinis beneficiis benignitatem nostram penes te sociare optamus; sed grave nobis est quia id a nobis videris expetere, quod praestare omnino non possumus. Si enim aut consentiamus aut patiamur investituras a tua excellentia fieri, et nostrum procul dubio et tuum erit immane periculum. Qua in re contemplari te volumus, quid aut non faciendo perdas aut faciendo conquiras. Nos enim in prohibitione hac nihil amplius oboedientiae, nihil liberalitatis per ecclesias nanciscimur, nec tibi debitae potestatis aut iuris subtrahere quic-

Ad Ep. 305 (JAFFÉ-LOEW. 5956): Data Lateranis, d. 23. Novembris a. 1103 (cf. *Hist. Nov.* 155 ss.; 445 s.). De hac epistola cf. Ep. 315: ANSELMO aliae litterae severiores pro rege datae erant. 4 WILL.] De Warelwast (cf. Ep. 308); cf. *Hist. Nov.* 152 ss.; 444 ss. 5 adversariis] Cf. ad Ep. 294. 6 sobolem] Cf. ad Ep. 296.

Ep. 305 (*Hist. Nov.*, ed. RULE, p. 155 s.) coll. cum r; g (= editio Maurina [1721], p. 67); cum MANSI, *Concilia*, t. XX, p. 1000 (= m) 1 serv. serv. dei: ill. et glorioso om. m 2 Anglorum om. m 4 Willielmum g Willielmum m clericum Wil. m 6 divina] Dominica g 7 te et religiosa m 8 laetificavit g 10 deo] benignitati eius m plurimum om. m prospicis m 12 omnino praestare m 13 aut¹ om. m

18 *quam nitimur, nisi ut erga te dei indignatio minuatur et sic tibi prospera cuncta contingant. Ait enim dominus: »Honorificantes me honorificabo. Qui autem me contemnunt, erunt ignobiles«. Dices itaque: ,Mei hoc iuris est'.*
 21 *Non utique, non est imperatorium, non est regium, sed divinum. Solius illius est qui dixit: »Ego sum ostium«. Unde pro ipso te rogo, cuius hoc munus est, ut ipsi hoc reddas. Ipsi dimittas, cuius amori etiam quae tua*
 24 *sunt debes. Nos autem cur tuae obniteremur voluntati, cur obsisteremus gratiae, nisi dei nos in huius negotii consensu sciremus voluntati obviare, gratiam amittere? Cur tibi quicquam negaremus quod cuiquam esset mor-*
 27 *talium concedendum, cum beneficia de te ampliora sumpserimus?*

Perspice, fili carissime, utrum decus an dedecus tibi sit, quod sapientissimus ac religiosissimus Anglicanorum episcoporum ANSELMUS, Cantua-
 30 *riensis episcopus, propter hoc tuo lateri adhaerere, tuo veretur in regno consistere. Qui tanta de te bona hactenus audierant: quid de te sentient, quid loquentur, cum hoc fuerit in regionibus divulgatum? Ipsi, qui coram*
 33 *te tuos excessus extollunt: cum praesentia tua caruerint, hoc profecto validius infamabunt. Redi ergo, carissime fili, ad cor tuum propter misericordiam dei; et propter amorem unigeniti deprecamur: revoca pastorem*
 36 *tuum, revoca patrem tuum. Et si quis – quod non opinamur – se adversus te gravius gesserit, si quidem investituras aversatus fueris, nos iuxta voluntatem tuam, quantum cum deo possumus, moderabimur. Tu tantum*
 39 *talīs repulsae infamiam a persona tua et regno amoveas.*

Haec si feceris, etsi gravia quaelibet a nobis petieris, quae cum deo praeberi facultas sit, profecto consequeris, et pro te dominum ipso adiuvante
 42 *exorare curabimus, et de peccatis tam tibi quam coniugi tuae sanctorum apostolorum meritis absolutionem et indulgentiam faciemus. Filium etiam tuum, quem ex spectabili et gloriosa coniuge suscepisti, quem, ut audivimus,*

19-20 ignobiles] 1 Reg. 2, 30 (Vulg.: quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; contemnunt me). 22 ostium] Ioh. 10, 9. 34 ad cor] Cf. Is. 46, 8.

18 indignatio] ira m 20 me autem g 21 est regium] est om. m sed] se m 23 reddas hoc ipsi m 25 nos om. rg sciremus nos in h. neg. consensu m 26 negarem g 28 Prospice m 29 Anglicanorum] Gallicanorum rg 29-30 Cantuariensis episcopus om. m 33 caruerint] raruerint r profecto om. m 34 fili carissime g 36 si quis] si quid g se om. m 36-37 gravius se adversus te m 38 cum deo] cum om. g tantum] tamen gm 39 amoveas] removeas m 43 indulgentiam et absolutionem m 43 etiam] autem m

egregii patris WILLELMI vocabulo nominasti, tanta tecum imminetia con- 45
fovebimus, ut qui te vel illum laeserit, Romanam laesisse videatur ecclesiam.

Quid super his ad honorem dei et ecclesiae gloriam exhibiturus sis,
maturius nobis volumus responderi, interventu videlicet talium legatorum, 48
de quorum relationibus nec noster debeat nec vester auditus ambigere.

Datae Lateranis, IX. Kal. Decembris.

306.

Ad GUNDULFUM episcopum Rofensem.

Mittit sigillum suum regi post adventum WILLELMI de Warelwast tra-
dendum, necnon exemplar litterarum ad regem mandat, quod solis eidem WIL-
LELMO et priori ostendatur, priusquam regi detur; postea episcopis et aliis pa-
tescat. Ex ipso videre licere, cur in Angliam non redeat. Responsum regis per
praesentem legatum sibi mittatur mandat.

ANSELMUS archiepiscopus: reverendo episcopo Rofensi GUNDULFO salutem.

Ubi et qualiter sim, per praesentium latorem audietis. Cur autem ad 3
 praesens in Angliam non redeam, ex litteris quas regi mitto, cognoscere
 poteritis. Mando autem vobis, ut eum fideliter ex nostra parte salutetis et
 sigillum nostrum, quod vobis nuntii nostri dant, quod ei mitto, illi detis, 6
 et si illi placuerit per litteras mihi respondere, illas mihi per praesentem
 legatum mittite. Quod si noluerit: quidquid responderit vestris litteris mihi
 mandate. Sigillum autem nostrum non prius regi ostendatis, quam WIL- 9
 LELMUS de Warelwast veniat in Angliam, et eidem WILLELMO exem-
 plum litterarum quas regi mitto, secrete ostendatis. Videte etiam, ut nullus
 praeter ipsum nisi prior noster solus sciat ipsas litteras, antequam regi dentur. 12
 Postquam vero rex illas cognoverit, episcopis et aliis eas notificate. Reginam
 ex nostra parte dulcissime salutate. Exemplar litterarum quas regi mitto,
 vobis transmittito. 15

Ad Ep. 306: Scripta mense Decembri a. 1103; Lugduni, ut videtur (cf. *Hist. Nov.*
 157; 446). 4 ex litteris] Cf. Ep. 308.

45 Willielmi g Wilielmi m vocabulo] nomine m 46 vel te vel illum g
 eccl. videatur laesisse m 47-49 Quid - ambigere om. m 50 Datum Laterani m
Ep. 306 (prius IV, 34) coll. cum LPE 3 latorem] laborem P

307.

Ad ERNULFUM priorem Cantuariensem.

Laudato eo quod ERNULFUS scripsit, se ad praesens desiderium fratrum de se implere non posse scribit. – Mittit exemplar litterarum quae regi dat, quod cognito regis responso patefiat. Se scripsisse ROGERIO, cuius negligentiae fratres penuriam quam patiuntur imputant. – Adolescentes et pueros singulos secrete salutet mandat. – Ad interrogationem de receptione clericorum affirmationem in Ep. 297 factam repetit. – Privilegium a papa acceptum ad custodiendum mittit. Concilium Lundoniense nondum publicandum mittit.

ANSELMUS archiepiscopus: domno priori ERNULFO salutem et benedictionem dei.

3 Benefecistis quia in litteris vestris quod sentiebatis mihi scripsistis. Nos quoque id ipsum sentimus et aperte videmus. Desiderium vestrum et fratrum nostrorum ad praesens non video quomodo de me possit impleri. 6 Litteras tamen nostras mitto regi, quarum exemplar vobis mitto. Quod volo ut sit occultum, donec cognoscatis quid rex mihi respondeat aut qualiter easdem litteras recipiat. Postquam vero hoc cognoscetis, bonum existimo ut 9 publice exemplar quod mitto ostendatur. De me et de causa nostra nihil aliud nunc vobis possum mandare quod nesciatis.

Ad fratres nostros estote vos epistola nostra ad salutandum, ad exhortandum, ad confortandum, secundum prudentiam quam vobis deus dedit, 12 quibus, quantam possum a deo impetrare, mando benedictionem et absolutionem. Pro querela, quam mihi fratres scripserunt de penuria quam patiuntur pro negligentia, sicut aestimant, domni ROGERII, scripsi illi et 15 praecepi, ut omnia quae ad illum pertinent agat vestro consilio et vestra conscientia. Adolescentiores et pueros precor, ut singulos secrete et ex nostra 18 parte dulciter salutetis, et ut nostrae memores sint monitionis, cordibus eorum, sicut scitis, intimetis.

Antequam Romam irem, postquam a vobis discessi, dum adhuc Becci 21 morarer, quaesivistis a me quid mihi videretur, si quis clericus, qui et lit-

Ad Ep. 307: Scripta eodem tempore.

11 ep. nostra] Cf. 2 Cor. 3, 2.

Ep. 307 (prius IV, 40) coll. cum LPE
si quis corr. P

13 quantum P

21 si quid ex

teratus et strenuus existimaretur, ad ecclesiam nostram, ut monachus fieret, vellet venire. Ad quod tunc litteris, quae nescio si ad vos pervenerunt, respondi quia, si videretis personam quam suscipiendam discretio vestra iudi- 24 caret, mihi quoque ut reciperetur bonum esset et placeret.

Privilegium quod dominus papa mihi dedit, vobis mitto ad transcribendum et diligenter custodiendum. Dixit mihi EVERARDUS vos velle 27 habere concilium quod Lundoniae celebravimus. Quod ita mitto vobis, ut illud nec in publicum efferatis nec transcribi faciatis, donec ego et vos cum episcoporum consilio illud retractemus. 30

308.

Ad HENRICUM regem Anglorum.

Eum certiore facit de actis Romae apud papam et de eius responso. Monitum WILLELMI de Warelwast ex parte regis datum, ut talem se faceret redeundo in Angliam, qualem praedecessor suus erga patrem regis, se intellexisse se cum eo non posse intrare in Angliam. Interrogat, an sic redire possit, ut nec homagium facere debeat nec cum accipientibus investituras communicare cogatur. Si non, animarum detrimentum quod inde contigerit, non suam culpam esse significat.

Suo reverendo domino HENRICO, regi Anglorum: ANSELMUS, Cantuariensis archiepiscopus, fidele servitium cum orationibus.

Quamvis per WILLELMUM de Warelwast cognoscatis quid Romae 3 fecerimus, tamen quod ad me pertinet, breviter ostendam. Romam veni, causam pro qua veneram domino papae exposui; respondit se nequaquam velle dissentire a statutis antecessorum suorum, et insuper praecepit mihi, ut 6 nullam haberem communionem cum illis, qui de manu vestra investituras acceperunt ecclesiarum post huius prohibitionis notitiam, nisi paenitentiam agerent et sine spe recuperationis quod acceperant desererent, neque cum episcopis 9

23 litteris] Ep. 295.

26 Privilegium] Cf. Ep. 303 et 304.

27 EVER.] Cf.

de eo *Hist. Nov.* 159; 447.

Ad Ep. 308: Data eodem tempore.

25 resciperetur *P*27 EVER.] dominus EVER. *P*

Ep. 308 (prius

III, 88) coll. cum *LPEVMFr*1 domno *F*HENR.] .H. *F* ANS.].A. *F*3-4 Quamvis - ostendam *om. F*3 Werelwast *Mr*

qui tales consecrarunt, nisi ad apostolicae sedis iudicium se praesentarent.
Horum omnium testis potest esse praedictus WILLELMUS, si vult.

12 Qui WILLELMUS, quando ab invicem discessimus, ex vestra parte
commemorans amorem et benignitatem quam semper erga me habuistis,
summonuit me sicut archiepiscopum vestrum, ut talem me facerem, quatenus
15 sic intrarem in Angliam, ut sic esse possem vobiscum, sicut fuit antecessor
meus cum patre vestro, et vos me eodem honore et liberalitate tractaretis,
qua pater vester antecessorem meum tractavit. In quibus verbis intellexi quia,
18 nisi me talem facerem, reditum meum in Angliam non velletis.

De amore quidem et benignitate gratias ago. Ut autem ita sim vo-
biscum, sicut antecessor meus fuit cum patre vestro, facere non possum,
21 quia nec vobis homagium facere, nec accipientibus de manu vestra investi-
turas ecclesiarum propter praedictam prohibitionem me audiente factam audeo
communicare. Unde precor ut mihi vestram, si placet, mandetis voluntatem,
24 utrum sic, quemadmodum dixi, possim in pace vestra et officii mei potestate
redire in Angliam. Paratus enim sum et vobis et populo divina mihi dispo-
sitione commisso officii mei servitium pro viribus et scientia mea, servata
27 regulari oboedientia, fideliter exhibere. Quod si vobis non placuerit, puto
quia, si quod animarum detrimentum inde contigerit, mea culpa non erit.

Omnipotens deus sic regnet in corde vestro, ut vos per omnia regnetis
30 in gratia eius.

10 praesentarent] repraesentarent *LPEVF* 11 praedictus *om. FM* WILL.]
.W. *F* de warelvast *add. F* 12 WILL. *om. F* 13 commemorans - habuistis
om. F 14 facere *prima man. P* 17-18 In quibus - velletis *om. F* 23-28
Unde - non erit *om. F* 29 sic] semper *F* 29-30 ut vos - eius *om. F*

309.

Ad ANSELMUM nepotem suum.

Eum hortatur, ut moribus ac scientiae studeat, et praecipit ut maneat, ubi sit, donec ipse aliud ordinet. - Salulet mandat magistrum WALTERUM et socium suum THEODORUM. - Salutat EDMERUS.

ANSELMUS archiepiscopus: nepoti suo carissimo ANSELMO salutem et benedictionem.

Non egeo apud te commendare dilectionem meam et curam pro te,³ quia ipsa natura persuadet tibi pro me. Te hortor, te moneo, tibi praecipio, ut bonis moribus et scientiae studeas, et ut ad meliora post gratiam dei, quantum in te est, proficias, et ibi ubi es, donec deo disponente aliter de⁶ te ordinem, perman eas. Magistrum tuum, domnum WALTERUM, de quo domnum priorem in litteris, quas illi mitto, rogavi, et domnum THEODORUM, socium tuum, ex nostra parte benigne saluta. »Dominus custodiat te⁹ ab omni malo, custodiat animam tuam dominus«. Salutat te multum dominus EDMERUS, qui vere, in quantum intelligo, sincero amore diligit te. Vale.

12

Ad Ep. 309: Missa, ut videtur, una cum duabus Ep. sequentibus. 8 in litteris] Non occurrit in epistolis ad ERNULFUM. Aut ergo ex toto periit, aut hic locus in Ep. 311, quae longa est, in manuscriptis omissus est. 9-10 dominus] Ps. 120, 7 (Vulg.: custodit te).

Ep. 309 (prius IV, 52) coll. cum LPE

Date Due

MAR - 62

J. Mc Carthy

MAR 22 '66 PAID

MAR 22 '63 PAID


55-1162

J. Mc Carthy

MAR 22 '66

DATE

22-53



250182



Anselm, S.

B765

.A83A153

Boston College Library
Chestnut Hill 67, Mass.

Books may be kept for two weeks unless a shorter period is specified.

If you cannot find what you want, inquire at the circulation desk for assistance.



